APOLOGIA PRO DECRETO S.D.N. ALEXANDRI 7. ET PRAXI JESUITARUM...

Domenico Maria Sarpetri, ...



3

APOLOGIA

PRO DECRETO S. D. N.

ALEXANDRI VII.

ET PRAXI JESUITARUM


circa cærimonias, quibus Sinæ Confucium & Progenitores mortuos colunt,

EX PATRUM DOMINICANORUM & Franciſcanorum ſcriptis concinnata.



LOVANII,
Apud ÆGIDIUM DENIQUE.

M. DCC.



PRÆFATIO.

Anni sunt sexaginta & ampliùs, ex quo Sinici ritus, quales hactenùs Patres Societatis JESU tolerarunt, in Idololatriæ crimen vocantur: anni propemodum quinquaginta, ex quo Alexandri VII. Decretum, ritus eosdem approbantis, variis cavillationibus eluditur. Atque illo toto tempore nihil fuit, in quo Societatis adversarii sibi magis applauserint, nihil quod jactaverint ambitiosiùs quam hujus accusationis autores habere omnes eos aut ferè omnes, qui è S. Dominici vel sancti Francisci familiâ Dominicam vineam apud Sinas excoluere. Porrò, si illud ultrò daremus verum esse, quod constat esse falsissimum, tantum abest ut contra Jesuitas ea res decretorii vim argumenti haberet, ut ne legitimi quidem ac justi præjudicii loco deberet esse. Quin potiùs si quid nondum utrâque parte eruditâ præjudicandum foret, non posset nisi pro Societatis causa præjudicari. Et verò controversia est ejusmodi quæ in merâ facti, ut aïunt, quæstione posita sit, videlicet quid de suo Confucio, quid de Progenitoribus suis Sinæ sentiant, quid velint iis ritibus aut cærimoniis, quibus eos colunt ac venerantur. Ea super quæstione decerni quicquam in Europa nisi ex Missionariorum fide ac testimonio huc usque non potest. Quod si annumerentur suffragia Patrum So-

cietatis, qui Missionem Sinicam procuraverint; numerus ter quaterque major reperietur, quàm eorum qui ex utroque illo ordine pedem fixerunt in Sinis.

Nec minùs certum est pluribus eos majoribusque ad rem penitùs pernoscendam & percipiendam præsidiis fuisse instructos. Ea enim præsidia sunt, ni fallor, hominum inter Sinas litteratorum familiaritas & consuetudo, tùm in gentis moribus institutisque cognoscendis, in linguâ tenendâ, in libris pertractandis usus & exercitatio. Cui verò dubium esse potest quin Patribus Societatis cum litteratis Sinensibus longè major & frequentior consuetudo intercesserit: quippe qui annos ipsos quinquaginta antequam ulli ex Ordinibus aliis Evangelium inter Sinas promulgare contingeret, per omnes fermè Imperii Provincias dispersi fuerint, & in Primariis civitatibus atque adeò Regiâ in urbe, domos habuerint.

Certè Navarreta, quo nemo acriùs, nemo impotentiùs in Jesuitas Sinenses invectus est, ultrò fatetur eos qui ab universis aliorum Ordinum Missionariis ad Christianam fidem adducti sunt, si componantur cum iis quos Societatis JESU Patres erudierunt, tam paucos esse ut Atomi cujusdam instar videri debeant. (Tomo 2. p. 315.) Quod eum verè scripsisse, vel ipsa quam instituit, enumeratio satis evincit. Nam ad annum usque 1677. quo tomum suum posteriorem edebat in lucem, omnium qui ab utriusque Ordinis Missionariis Baptismo tincti fuerunt, numerum facit millium admodum tredecim: quo numero etiam infantuli continentur. Atqui ex

Societatis Missionariis unum appellat P. Brancatum in cujus grege adulti homines essent quadragies mille. Nec abludit historia dominicanæ familiæ, ex quâ discimus eundem illum Jesuitam unâ in urbe Xan-hay *locisque circumpositis Christianorum habuisse facilè viginti millia.* Ibid. p. 235. Part. 2. pag. 377.

Igitur cum pro Neophytorum numero crescere quoque proportione soleat litteratorum christianorum numerus; fieri non potuit quin Patribus Societatis longè plures istorum suppeterent, quorum consuetudine sermonibusque docerentur, quæ communis Sinarum sententia, qui totius gentis mores essent.

Jam ut ad linguæ peritiam ac librorum intelligentiam veniamus, idem Navarreta homo, si quisquam alius, ab eo alienissimus ut in gratiam Jesuitarum mentiri quidquam vellet, fateri non dubitat libros ab iis Sinicè conscriptos eâ eruditione esse ac doctrinâ, quæ non laudem modò sed & admirationem mereatur. Non deerat igitur, vel ipso teste, Patribus Societatis litteratura Sinica, quantum satis esset ad instituta gentis illius & doctorum hominum placita pernoscenda. Tom. 2. p. 6.

Atque ea quidem sunt ejusmodi, ut nihil Jesuitarum causæ officeret vel si Franciscani Dominicanique qui apud Sinas fuere, in sententiam contrariam ad unum omnes conspirarent. Quis enim est cui non potior illa opinio videri debeat, cui constet longè majorem numerum testium, & longè plura ac certiora veritatis indagandæ præsidia suffragari? Sanè qui hoc præjudicii ex hominum mentibus evellere aggrediatur, necesse est horum alterutrum de-

monstrandum suscipiat, vel Jesuitas adeò indiligentes atque oscitantes fuisse, ut ea quæ habebant ad rem penitùs cognoscendam adjumenta non adhibuerint, vel adeò protervè scelestos, ut quod verum esse intelligerent, hactenùs deditâ operâ non dissimulare solùm sed etiam inficiari sustinerint.

At enim ampliùs integrum non est ipsorum adversariis, etiamsi maximè velint, ad ejusmodi accusationem confugere, postquam D. Maigrot totius hujus causæ caput, ille alioqui tam parum assuetus Jesuitis parcere, non tamen ausus est ita omnem ipsis laudem invidere, ut negaret errorem cujus eos insimulat, quemque damnari flagitat, bonâ fide susceptum ab iis fuisse. Sic enim fatetur, eam praxim amplexos esse, quæ sibi in Domino magis veritati consona videbatur.

Histor. cultûs fin. p. 338.

Jam verò qui in amplectendâ sententiâ, veritatis unius studio duci se passi sunt, est ne credibile aut omninò simile veri eosdem agnitâ semel ac perceptâ veritate constantes in errore pristino deffendendo fuisse, adeò ut Spiritui sancto mentiri *sustinuerint, hoc est per summam impudentiam id coram sanctissimæ Sedis Apostolicæ tribunali verum testari, quod esse falsum sua ipsos conscientia admoneret?*

Neque illud multò verisimilius, eos temerè, nequaquam exploratâ re, aut sententiam illam arripuisse, aut semel arreptæ posteà semper adhærere voluisse. Quid enim? eâne vecordiâ, eo stupore fuisse Missionarios illos omnes, ut ab annis amplius quinquaginta, ex quo hæc controversia tanto undique strepitu agitata est,

dum ipsi nominatìm vocantur in jus atque aguntur rei, dum ad singula accusationis gravissima capita respondere coguntur, dum innumera ex utrâque parte scripta prodeunt, illi, inquam, tanto numero, tantâque rei certiùs inquirendæ facilitate, omnia susque deque habuerint, & quid verum, quid falsum esset, nihil solliciti, maluerint deditâ operâ Christianorum immensos greges superstitioni suæ atque idololatriæ obnoxios relinquere ac retinere, quàm de susceptâ sententiâ praxique expendendâ cogitare? Tanta vecordia, tantus in tali re stupor, nescio an videri posset tolerabilior quam ipsa mala fides: verius dixerim, non posset cum pessimâ fide non esse conjunctus.

Itaque D. Maigrot, dum eos concedit non nisi bonâ fide egisse, eam praxim amplexos esse, quæ sibi in domino magis veritati consona videbatur; *hac confessione omnem ab illis suspicionem amolitur non solùm oppugnatæ de industriâ veritatis, verum etiam tantæ in eâdem indagandâ socordiæ.*

Quod si neque malæ fidei, neque verò negligentiæ crimen, quantum ad eam rem pertinet, iis objici potest; si longè eos majori numero semper fuisse, longè majoribus atque amplioribus ad veritatem facti controversi pernoscendam adjumentis instructos fuisse constat, id est ad sensum animumque Sinensium. In usurpandis cærimoniis suis planè perspiciendum; quis neget in tantâ inæqualitate partium, pro Jesuitis præjudicandum fore, vel si adversarios haberent omnes Franciscanos atque Dominicanos qui hactenùs in Sinas Evangelii prædicandi causâ penetrarunt?

Quid jam futurum censebimus, si comperiamus horum etiam partem, eamque præcipuam ac spectatissimam, ad Jesuitas se adjunxisse, & pro Alexandri VII. decreto cum iis consensisse? Quid si comperiamus præterea illos etiam qui sibi palam atque apertè rejiciendum esse judicarunt, suppeditare tamen vel invitos, seu potiùs incogitantes, arma quibus istud ipsum decretum propugnetur?

Atqui hujus utriusque generis instrumenta in hoc collecta volumine exhibemus. Continet enim primùm varia scripta, variaque excerpta ex eorum libris, qui pro Alexandri VII. decreto cum Jesuitis stetere. Neque verò omnia omnium testimonia proferenda duximus, sed ea dumtaxat quorum est adeò certa veritas, ut de iis ambigere nemo possit, qui modo legerit. Subjicientur deinde eorum autoritates qui, dum illud decretum impugnant maximè, ea tamen posuerunt atque ultrò fassi sunt, quibus positis convellitur quidquid argumentorum in contrarium vel ab ipsis vel ab eorum gregalibus adductum est. Atque his duabus veluti partibus collectio hæc absolvitur.

Quæ priori parte continentur sunt ejusmodi, ut eorum veritas nemini dubia esse possit. Patris quidem Sarpetri scripta dudum edita sunt: neque tacitum est quo in loco propria autoris manu exarata servarentur. Vel unus ejus Tractatus de cærimoniarum usu quibus Confucium & Progenitores suos Sinæ venerantur, luculenter etiamnum docet quemadmodum P. Navarreta suorum collegarum nomine circa eas cærimonias pactus fuerit cum Patribus Societatis Jesu apud

Sinas

Sinas degentibus: Quippe Tractatum hunc P. Sarpetrus eo consilio scripsit ut de illa P. Navarrettæ transactione reliquos Dominicanos certiores redderet, eosque hortaretur illam ut assensu suo comprobarent. Quis autem cogitet P. Sarpetrum id serio suscepturum fuisse ut Collegas suos hortaretur ad approbandum suffragio suo instrumentum illud, quod nuspiam extitisset, cujus loco si quidpiam supposititium vellet obtrudere, satis sciret uno conjectu oculorum facile fraudem omnem ab illorum unoquoque detegendam.

Hujus instrumenti veritate constituta, nihil habet difficultatis ea P. Sarpetri Declaratio, qua illud pro se ipse ratum habet atque approbat; Præterquam quod extat Romæ declarationis ejus exemplar autographum.

Denique de Responsis R. P. Joannis de Paz nulla potest esse dubitatio; quippe quæ annuentibus, & approbantibus ipsius Præpositis edita sint: Nec ulla pariter de Tractatu D. Gregorii Lopez deque ejus ad summum Pontificem & ad sacram Congregationem Epistolis, quas autographus in sacræ Congregationis de propaganda fide tabulario notum est asservari. Ejus autem ad P. Philippum Couplet Epistolæ Parisiis apud Patres Societatis Jesu habetur autographum exemplar.

Porro quæ his instrumentis continentur, alia sunt extra controversiam, alia in disputationem vocari possunt. Dubitari potest utrum qui ea scripsere Dominicani satis recte existimaverint de librorum Sinicorum quos citant auctoritate, tum de sensu eorum textuum quos pro se addu-

cunt, vel quos in suam sententiam explicandos suscipiunt. Atque hoc ipsum est quod apud Apostolicam Sedem hodie disceptatur: qua in disceptatione habent alia Jesuitæ quibus causam defendant suam, utcumque de his quæ damus scriptis, statuatur.

Dubia vero nullatenus esse possunt nonnulla quæ in his elucent, & ad facti, ut aiunt, quæstionem pertinent stetisse cum primum sit Dominicanos qui horum auctores sunt Jesuitis pro Decreto Alexandri VII. nec iis quæ contra objicerentur permotos fuisse, quominus eam sententiam, Sinicorum librorum auctoritate niti crederent. Quis enim hosce Dominicanos putet adeo profligatæ conscientiæ fuisse ut in re gravissimâ & quæ ad religionem maxime pertineret, contra quam sentirent, loqui non erubuerint?

Alterum est neque ipsos per se observasse neque ab aliis didicisse, Confucio, Progenitoribusque mortuis vulgo & palam à Sinensibus Litteratis numen ullum potestatemve tribui, nec eos in tabellis verè præsentes credi, nec istorum quidquam significari per eos ritus, qui in ipsis colendis adhiberi solent: ipsos vero Sinas, dum ab homine Christiano factitari vident quæ licere sanxit Alexander VII. Decreto suo, nequaquam illos factum sic interpretari quasi addictum se his erroribus profiteretur. Necesse est, inquam, nihil istorum à Dominicanis illis aut propria experientia cognitum, aut aliunde acceptum fuisse. Cujus enim sceleris tum fuisset non modo contrarium testari, sed etiam probandum, ut illi fecerunt, confirmandumque suscipere?

Denique longe omnium certissima haberi debent quæ illi referunt non modo tanquam à se visa & perspecta, sed tanquam Collegis ac fratribus suis ad quos scribebant, notissima. Hujus generis illa sunt quæ ex Patre Sarpetro didicimus: P. Navarrettam, factâ sibi ad id potestate à Vicario suo Provinciali, pactum iniisse cum Patribus Societatis, initumque suo Chirographo firmasse; habitum fuisse antea cœtum Dominicanorum inter Sinas degentium, in quo ex majori suffragiorum numero constitutum erat standum esse Decreto Alexandri VII. Dominicanis imperatum esse ab uno Præposito suo Provinciali, ut ei Decreto parerent, prohibitum ab altero hujus successore ne quid contra illam praxim auderent scribere. Tum quod refert P. de Paz, Dominicanorum relationibus quasi certum atque indubitatum affirmari nullum Sinas Confucio numen tribuere potestatem nullam idque eos publice ac palam profiteri. Postremo R. P. Gregorium Lopez a Præposito suo delectum esse tanquam doctissimum inter sodales aut unum è doctissimis, ut eas controversias quæ hodie agitantur, scriptis explicaret.

Hæc, inquam, ejusmodi sunt de quibus ambigi nequeat, ubi semel genuina esse constat ea scripta quæ exhibemus. Superest ut de ipsis auctoribus quales fuerint, & quâ quidque occasione scripserint, paucis referamus.

Atque hæc in antecessum, donec fusius alio in opere adversus novum Dominicanorum

Sinensium, seu verius Moralis Practicæ *Apologistam monstretur quantopere à suo Navarretta aliisque ejusdem notæ hominibus imponi sibi passus sit : quantum imponat ipse sibi suis plerumque argumentationibus & conjecturis : quam immerito sibi placeat, & in suos adversarios quasi hominum ineptissimos insultet, tum etiam cum nihil nisi magnam rerum, de quibus scribere aggressus est, ipsiusque adeo historiæ domesticæ ignorantiam prodit.*

De R. Patre Sarpetro.

Reverendus Pater Dominicus Maria Sarpetrus, alias à Sancto Petro nuncupatus, è Sicilia oriundus fuit, ibique Ordini Sancti Dominici nomen dedit Panormi apud Divæ Zittæ Conventum. Is cum Philosophiam docuisset, atque ad profitendam Theologiam approbatus esset, transiit ad Philippinas insulas, ut se animarum saluti in Missionibus procurandæ devoveret. Missus inde à Præpositis in Sinense regnum, unâque jussus est præcipuam adhibere diligentiam in dignoscendis sectarum Sinicarum superstitionibus.

De his nimirum plurima tunc temporis erat contentio, occasione Decreti ab Alexandro septimo editi, quo summus Pontifex Christianis Sinensibus permittit nonnullos ritus, quos P. Joannes Baptista Morales Dominicanus Romæ quasi superstitiosos atque Idololatricos accusaverat. Variabant Dominicanorum ea super re sententiæ: atque inde factum videtur esse ut R. P. Franciscus à Paula eo tempore Dominicanæ Familiæ Provincialis apud Philippinas Sarpetrum hortatus sit, præcipuo ut studio ad eas res discutiendas animum intenderet. Noverat ille scilicet, quod & facile quilibet ex scriptis quæ sequuntur potest intelligere, quanta esset P. Sarpetri sinceritas, quanta moderatio animi, quanta in rebus æstimandis æquitas ac perspicacia; neque dubitavit quin esset in pri-

mis idoneus ad id præstandum quod habebat ipse in animo, nempe ut liquido constaret quid de ea tota re, quantum quidem ad factum pertinet æstimandum ac judicandum foret.

Paruit suo Præposito Sarpetrus, summoque studio in id, quod ipsi fuerat demandatum incubuit, præsertim quinque illis aut sex annis quos vixit in custodia una cum aliis Missionariis: cum eo tempore juvandi proximos ac docendi facultas omnino adempta esset.

Nempe cum vexari palam Christiana Religio cœpta esset anno 1665. quicumque ex Evangelicis Ministris deprehendi potuerunt, atque inter eos P. Sarpetrus, ducti Pekinum sunt, & in carcerem inclusi, unde postea Cantonem missi. Eò advenere omnino quatuor & viginti ex variis Ordinibus: Franciscanus unus, P. Antonius à Sancta Maria: Dominicani tres, P.P. Dominicus Navarrette, Philippus Leonardus, Dominicus Maria Sarpetrus: reliqui è Societate Jesu, quibus omnibus nostrum Collegium custodiæ loco fuit.

Et quoniam non desperabant fore aliquando favente numine, ut hac tempestate sedata, suis Ecclesiis redderentur, Interea operæ pretium se facturos esse duxerunt, si occasione illa quam præsens calamitas præter omnem expectationem offerebat, uterentur ad ea inter se statuenda & communi probanda consensu, quæ pertinerent ad praxim: cùm nihil esset fidelium utilitati accommodatius, magisque adeò necessarium, quàm ut à Missionariis omnibus una atque eadem agendi ratio servaretur.

Prima omnium fuisse videtur controversia de

Xamti, *utrum scilicet eâ voce Sinicâ Deus O. M. appellari posset. P. Antonius à Sancta Mariâ qui sopitam ab annis 40. controversiam hanc recens excitaverat. defendebat acriter, nusquam uti licere hoc vocabulo, eosque qui uterentur, in errorem Sinensium atheorum incurrere. Qua occasione factum est ut P. Sarpetrus suo suffragio comprobandum sibi putarit editum olim à P. Riccio Societatis* JESU, *Missionis fundatore, librum qui Sinicè inscribitur* Tien-chu xe-y, *id est* vera notio Domini cœli: *eóque pertinet ut confutato Sinensium atheorum errore ostendatur scriptores antiquos librorum quos classicos appellant verum Deum cognovisse ipsumque sub* xamti *nomine coluisse: quantumvis recentiores athei, ut errorem atque insaniam suam excusent, nomen illud contra vim ejus nativam ac significationem tribuant substantiæ nescio cui seu virtuti cœlesti, at merè tamen corporeæ, quam in veri Dei locum supponunt. Hoc P. Sarpetri testimonium datum est anno 1667. die Maij nonâ.*

Et quia P. Antonius à Sancta Maria Romam quosdam miserat pro tuenda opinione sua commentarios, idem P. Sarpetrus P. Prospero Intorcettæ Societatis JESU *Romam à Superioribus procuratori delegato alterum scriptum fusius tradidit Hispano sermone: quo in scripto exponit defenditque consuetudinem Patrum Societatis, qui adhiberent quidem hoc vocabulum sed tunc duntaxat, cùm ostendere infidelibus volunt, quò facilius, eos ad fidem amplectendam adducant, verum Deum fuisse olim à Sinis adoratum, neque aliud quidquam*

nomine xamti *fuisse ab antiquis ipsorum Doctoribus significatum. Ea P. Sarpetri lucubratio absoluta fuit ad diem 20. Julii annno 1668. nec minus quàm reliqua ejusdem servatur antographa.*

Præbuerat ipsemet ante aliquot menses occasionem controversiæ de cultu tam Confucii quam progenitorum renovandæ. Sic enim refert in Epistola, quam hîc repræsentamus, se priusquam agere cum Patribus Societatis ea de re licuisset, subdubitasse annon erratum foret à P. Martinio in illa cærimoniarum Sinensium expositione quam subsecutum est Decretum illud quo diximus licitas declarari. Ac Pater quidem Sarpetrus, quoniam nullo præconcepto judicio occupatus ad congressus illos animum attulerat, ut primum facti veritatem sibi visus est comperisse, sublatâ dubitatione qua tenebatur, facile se ad sententiam Patrum Societatis adduci passus est. Itaque, interim dum Collegæ ipsius duo cum P. Antonio à Sancta Maria in eo erant, ut quæ dubia de novo sibi occurrerant, scriptis exponerent, suum ipse testimonium die quarto mensis Augusti 1668. exaravit: quo postquam professus est quid de Sinicis cærimoniis existimet, confutat id quod rumores à malevolis conficti vulgaverant, Patres Societatis à prædicando Christo Crucifixo inter Sinas abstinere. Deinde Novembris die 12. ad Sacram Congregationem de propaganda fide litteras dedit, quibus & de his agit quæ inter ipsos discussa Cantone fuerant, & illius scripti meminit quod modo laudavimus.

Postquam responsis PP. Societatis ad dubitationes

bitationes P. Navarretæ effectum est ut ipse horum sententiæ adhærere se profiteretur tradita declaratione quam suo loco repræsentabimus; tum P. Sarpetrus, cui nihil fuerat magis in votis, quam ut controversia omnis ista componeretur, Declarationem ipse suam adjunxit, quarta die Octobris 1669. Quâ sibi vehementer probari testatur illam P. Navarretæ, nominatim ob eam causam, quod valde consentiat cum iis quæ ante aliquot annos majori suffragiorum numero in Dominicanorum cœtu apud Sinas eo tempore degentium decreta erant & constituta.

Atque illud est P. Navarretæ pactum quod ut præpositis suis collegisque probaret P. Sarpetrus, Hispanico idiomate tractatum scripsit quem latinâ linguâ donatum hic exhibemus. Cum enim paulo post P. Navarretta Cantone fugisset Macaum eo consilio ut inde remigraret in Europam, neque docuisset Collegas suos, quid eorum nomine transegisset, P. Sarpetrus officii sui duxit esse, & omnes admonere quid esset actum, & eos dedocere qui iisdem adhuc tenerentur dubiis quæ ipsum olim tenuerant.

Iis hujus tractatus exemplaribus quæ in Sinis sparsa sunt; præfixa fuit auctoris Epistola ad Provincialem suum & ad definitores capituli ejusdem Provinciæ scripta: ex quâ intelligitur quid anteà Provinciales ejusdem Provinciæ duo statuissent de cærimoniis Sinicis: Et quamquam ad nos hæc epistola nondum pervenerit, ut possimus ipsa hic auctoris verba repræsentare, tamen hunc defectum facile su-

plebit quod sequitur desumptum ex Tractatu P: Philippuccii Soc. JESU *edito apud Sinas ante annos circiter viginti : hoc est eo tempore quo non solum P. Sarpetrus Epistolæ auctor , sed illi ipsi ad quos erat data , & alii rei totius de qua agitur conscii , adhuc in vivis erant.*

Itaque P. Philippuccius , in eo tractatu cui titulus est , præludium ad plenam disquisitionem &c. cap. 4. prop. 3. *Sic habet* Item R. P. Fr. Franciscus de Paula ejusdem Ordinis & Provinciæ Provincialis , eisdem RR. PP. sibi subjectis jussit, ut responsionibus à P. Martinio Româ allatis se conformarent. Denique R. P. F. Philippus Pardus ejusdem Ordinis & Provinciæ Provincialis , præcitatis sibi subditis vetuit , ne in suis libris illi doctrinæ contrarium scriberent , quam Societatis Patres in suis scripsissent. Hæc omnia manifestè constant ex Epistolâ prædicti Patris de sancto Petro ad suum Provincialem & Definitores Capituli Provincialis Philippinarum conscriptâ ; quæ ante initium citati Tractatus ejusdem Patris invenitur. *Huc usque P. Philippuccius.*

Porrò Tractatum hunc omnem P. Sarpetrus ad duas propositiones revocat , quæ sunt illius veluti partes duæ. Prima est , sententiam Jesuitarum , ad quam tum ipse , tum deinde P. Navarreta omnium illorum nomine accesserat , esse intrinsecè ac per se probabiliorem , hoc est ex iis argumentis quibus stabilitur & confirmatur. Altera , eamdem esse quoque pro-

babiliorem extrinsecè , hoc est spectato eorum numero atque conditione quorum auctoritate nititur. Tum solvit ea quæ præcipue poterant objici.

Partem seu propositionem utramque , ac primam præsertim deffendit P. Sarpetrus magno argumentorum numero , quæ ita strictè ac pressè explicat , ut neque minori circuitu verborum ea proponi necesse sit , neque vero facile fieret, quin ea obscuriora redderentur. At sunt prænotanda quædam , antequam ad hæc Sarpetri scripta lector accedat.

1. Primum est non id nunc agi præsertim , quæ privata opinio illius Dominicani fuerit , aut quibus eam argumentis fulciat. Etsi enim nobis quidem persuasum est ea probatum iri omnibus , qui in hac re aliquid vident , haud tamen ex iis pendere volumus Jesuitarum aut potius Decreti Alexandrini causam spectamus illum scilicet hoc loco ut testem duntaxat , eoque adhibemus illius testimonium ut id ostendamus quod unum propositum est , ejus ætatis Dominicanos plerosque qui erant in Sinis , nominatim vero Navarretam subscripsisse Jesuitarum opinioni subscribendoque nihil præstitisse quam quod Præpositi sui , & quidem majores , fieri jusserant.

2. Secundum est , linguam esse in Europa nullam quæ vocem habeat perfectè respondentem Sinico vocabulo Ci : quod hac quidem in causa significat cibos atque odoramenta aliaque id genus quæ ad mortui feretrum sive coram ejusdem imagine apponuntur ; ritus præterea & cærimonias tum usurpari solitas. Quare , ne

ſæpè rediret longior ille verborum ambitus, vocem ipſam Ci *quam adhibuit P. Sarpetrus, & nos retinendam duximus, admonito ſemel Lectore quem ea ſignificatum habeat.*

3. Tertium eſt P. Sarpetrum, cum ſibi defendendū ab Idololatria ſuſcepit illud Ci *quod in honorem Confucii ſexto quoque menſe Litterati celebrant, plus feciſſe quam ad id quod ſibi propoſuerat, neceſſe ſit; nempe ad tuendam Jeſuitarum praxim ſeu potius ſacræ Congregationis reſponſa anni 1656.*

Duplex eſt nimirum apud Sinenſes litteratos colendi Confucii ritus. Alter poſitus eſt in ſalutionibus quibuſdam officioſis, quæ gentis more adhibentur coram tabella Confucii nomine inſcripta, capite ſæpius ad terram uſque demiſſo. Quod quidem tertio quoque anno fit tum cum Doctoris aut Baccalaurei gradu donantur. Ritus alter ſexto quoque menſe redit, ac tum præter illas ſalutationes, odoramenta comburuntur ante eamdem tabellam, offeruntur vinum & carnes, ſeu potius integra animalia, iiſdem fere cum cærimoniis quæ apud eos in uſu ſunt, ubi nobilem quempiam ac primariâ dignitate virum ſplendido cum apparatu menſa volunt excipere.

De poſtremo hoc ritu qui ſolemne Ci *Confucianum dicitur, nulla fuit hactenus, ad praxim quod attinet, controverſia. Nam ſive res ipſa vacet ſuperſtitione, ſive ſuperſtitioni ſit affinis; Jeſuitas certe prohibuiſſe ſemper ne huic adeſſent Chriſtiani, non Sarpetrus modo ſed & ipſe P. Navarreta teſtatur.*

Prohibuere porro, non quod arbitrarentur, ut aliis nonnullis viſum erat, viſum illum re ip-

sa sacrificii genus esse, aut aliquid vulgò adjunctum habere, quod cultus merè civilis ac politici fines excedat: sed quod huic interesse litteratos Christianos cum nulla lex cogat, satius esse meritò duxerunt Jesuitæ ab his eos cœrimoniis arcere, quæ mali speciem aliquam habere possent, ut inter homines nondum satis in fide confirmatos. Atque hinc est quod nihil aliud Neophytis suis permisere, nisi ut Confucii tabellam eo quem modò exposui ritu salutarent, cum ad gradus admittuntur: quem planè honorem magistris suis adhuc viventibus exhibent, neque Confucio negare possunt, si velint ad gradus litterarios attolli.

Constat igitur quod dixi, cùm Patri Sarpetro id unum incumberet ut praxim illam tueretur, quam & Patres Societatis Jesu permittunt, & approbavit expressè Sacra Congregatio, necesse non habuisse de solemni illo Ci *Confuciano quidquam dicere: quippe cujus usum ac praxim nunquam Jesuitæ approbarint. Sed hoc ipsum etsi minus necessarium, non mediocriter tamen pro illis facit. Qui enim ita religiosi fuerunt, ut ab illa praxi, quam expertem criminis existimabant, sicut est re ipsa, tamen Christianos suos jusserint abstinere, quò longius eos removerent ab iis omnibus quæ ad Ethnicorum ritus accedere viderentur; quis credat eosdem contra rationis ac conscientiæ præscripta permittere Christianis, & si superis placet, suadere etiam voluisse, ut eas cærimonias adhiberent, quas superstitiosas & nefandas esse ipsi non ignorabant.*

4. *Ultimum hoc nec levis sanè momenti ad id pertinet quod ait Sarpetrus,* & sen-

tentiam Patrum Societatis esse longè probabiliorem, tum verò esse ejusmodi, ut eam sequi deberent omnes, etiam si opposita sententia foret æquè probabilis.

Hic enim verò quibusdam fortasse in mentem veniat juris quæstionem esse de qua agitur: & qui in juris quæstionibus aiunt sequi non licere opinionem vel probabilissimam, Sarpetrum statim damnabunt & laxiorem ut appellant, doctorem criminabuntur; quippe qui falsum dogma bonisque moribus adversum assumat. Verum cogitent illi probabilitatem de qua illi sermo est, non ad juris sed ad facti quæstionem duntaxat pertinere. Id enim unum quæritur an cœrimoniæ illæ, quas Sinæ erga Confucium & defunctos adhibent, ab ipsis religiosæ esse existimentur, an tantum civiles; hoc est an Sinæ litterati Confucio ac defunctis partem divinitatis aliquam publicè tribuant, an ab iis vel beneficium aliquod sperent vel malum timeant.

Jam vero quidquid sentiatur de opinionum in morali Theologia probabilitate, satis constat in hâc nostrâ causâ sufficere probabilitatem, non modo ut earum cærimoniarum usus Christianis Sinensibus liber relinqui jure potuerit, sed etiam ut vetari nullo modo potuerit. Atque illa ipsa est æquitatis ac sapientiæ lex quam Sacra Congregatio præscribendam putavit Gallis Episcopis, qui ad has Orientis partes ante annos admodum quadraginta sunt missi.

Instruct. pro Vic. Nullum studium ponite, nullaque ratione suadete illis populis, ut ritus

ſuos, conſuetudines & mores mutent, modò ne ſint *apertiſſimè* religioni & bonis moribus contrariæ. Quid enim abſurdius, quam Galliam, Hiſpaniam, aut Italiam, vel aliam Europæ partem in Sinas invehere? Non hæc, ſed fidem importate, quæ nullius gentis ritus aut conſuetudines, quæ modo pravæ non ſint, aut reſpuit aut lædit, imò verò ſarta tecta eſſe vult. Apoſt. pag. 14.

Et quoniam ea pæne eſt hominum natura, ut ſua, & maximè ipſas ſuas nationes cæteris & exiſtimatione & amore præferant, nulla odii & alienationis cauſa potentior exiſtit, quam patriarum conſuetudinum immutatio, earum maximè, quibus homines ab omni Patrum memoria aſſuevere: præſertim ſi abrogatarum loco mores tuæ nationis ſubſtituas, & inferas. Itaque uſus illarum gentium cum uſibus Europæorum conferte, quin immò magnâ vos illis diligentiâ aſſueſcite.

Admiremini & laudate ea quæ laudem merentur: quæ vero laudis expertia ſunt, ut non ſunt præconiis aſſentatorum more extollenda, ita prudentiæ veſtræ erit de his aut judicium non ferre, aut certe non tenere & ultro damnare. Quæ verò prava extiterint, nutibus magis & ſilentio quam verbis proſcindenda: opportunitate nimirum captata, quâ diſpoſitis animis ad veritatem capeſſendam ſenſim ſine ſenſu evellantur.

His omnino verbis Sacra Congregatio Vicarios Apostolicos ad Sinas destinatos atque ipsis adjunctos Missionarios edocebat.

Sanè quisquis ex his regulis de Jesuitarum praxi in cærimoniis Sinicis permittendis deque Alexandri VII. Decreto judicaverit quo praxis illa probatur; intelliget facile Patres Societatis adeo non esse progressos ultra limites ab Sacra Congregatione præscriptos, sed multum citra eosdem constitisse, ac longe severius in ea re se gessisse quam officii ratio cogeret. Quippe cum suis Neophytis non modo permiserunt nihil, quod apertè malum foret, sed nihil concesserunt unquam nisi quod apertè foret indifferens: ac ne istud quidem nisi jubente necessitate fecere, sed oblata quamlibet tenui specie mali, interdixerunt iis rebus quas per se & intrinsecè haudminus indifferentes & à crimine remotas arbitrabantur.

Itaque nihil necesse est ad Jesuitarum causam approbandam, ullomodo de opinionis, at aiunt, probabilis naturâ disputare, aut ad ejus veluti patrocinium confugere. Certè nihil hoc ad Sarpetrum atque ad ejus argumentationem pertinet. Ille quidem sive ex modestia, sive ut minus læderet eos qui aliter sentirent, satis habuit suam ac Jesuitarum sententiam dicere probabiliorem. Sed vel sic scopum attigit quò tota ejus disputatio tendebat. Modo enim vel probabile sit quod ipse cum Jesuitis defendit circa factum, ut loquimur, rituum Sinicorum, eo ipso constabit, quæ illi permittunt non esse apertissimè religioni & bonis moribus contraria. *Proinde ritibus iis*

iis interdicere non potuerunt Christianis quos habebant, erudiendos, si Sacræ Congregationis placita, si rationem ipsam sequerentur.

Et vero quid charitati magis ac prudentiæ contrarium fingi potest, quam & plebem Christianam persecutionis objicere periculo, & Gentiles à Christiana lege amplectenda removere, ea prohibendo quæ utrique nullatenus ad religiosum cultum pertinere profitentur: quæ proinde si fiant, scandalo apud eas gentes esse non possunt, quanquam nos aliter instituti eadem religioni tribuere, ac religiosas cærimonias interpretari soleamus?

Quis jam nescit quo se habitu Siamenses componant non modo coram suo Rege, sed vel coram una ipsius epistola? Non alio cultu idola sua videntur posse venerari. Hoc ante paucos annos tota Gallia, ipsaque vidit Italia. Quid si hoc velit quispiam, profunda illa corporis abjectione ad terram usque, idololatriam contineri, neque Siamenses ad baptismum ante esse admittendos quam polliciti fuerint nunquam se deinceps ante sui Regis epistolam demissuros caput ad terram, neque ea facturos quæ ex lege patria solent? Id quidem adversarios nostros velle necesse est, si constare sibi volunt: sed paucos fore arbitror qui cum illis sentiant.

Atqui Siamenses inter & Sinenses hac quidem in parte discrimen nullum esse constat. Quem honorem Siamenses sui Regis Epistolæ deferunt, hunc Sinenses habent nomini seu Confucii seu progenitorum in tabella, ut diximus, inscripto; quæ his offerunt Christiani (de istis enim loquor) dum suo illo Ci

perfunguntur ea ipsa mortalibus offerunt quos excipere cum aliquo apparatu & reverentiæ significatione volunt. Sed hæc quidem satis, ne ad ipsam disceptationem aggredi velle videar, & Patrem Sarpetrum prævertere.

Cæterum quanta debeat esse Religiosi hujus Missionarii existimatio, quantam ipsius verbis haberi fidem oporteat, satius est unumquemque per se legendis ejus scriptis intelligere, quam à me prædicari. Elucet quippe in iis zelus ille summa cum prudentia conjunctus, ille charitatis fervor, illa ingenua & fuci expers simplicitas, illa mansuetudo ac modestia, quæ tantam de hominis sinceritate existimationem afferant maximè si cætera rerum adjuncta consideres, ut quamvis solus ille ea quæ refert omnia testaretur, maximam tamen in ejus testimonio vim atque auctoritatem nemo non æquus æstimator tribuendam censeret. Sed erit, credo, non ingratum lectori si addiderimus hîc nonnulla ex his, quæ de tanti ac sancti viri virtute aliunde accepimus.

In historia quidem Dominicanorum Philippinensium Manilæ scripta anno 1676. de ipso deque aliis duobus ejusdem familiæ Patribus Polanco & Leonardo, quibuscum Missionem Sinensem ingressus est, scriptum legimus tres viros fuisse magno animo præditos, eoque spiritu qui homines apostolicos efficit : Todos tres escogidos, con grande valor è espiritu de apostolicos Missioneros.

Part. 2. lib. 2. pag. 330.

Quanta esse debeat testimonii hujus authoritas magis etiam intelligetur, si attendamus ad hæc duo. Primum eâdem in historia, cap. 41.

laudari P. Polancum tanquam virum omni ex parte præstantissimum : ut ea laus non mediocris censeri debeat quod Pater Sarpetrus tanto viro socius laudum adjunctus sit. Alterum est scriptorem historiæ illius, cùm esset iis opinionibus infensissimus, quas P. Sarpetro placuisse usque non ignorabat, procul abesse ut hujus laudes augere atque exaggerare voluerit.

Quæ cum ita sint tanto facilius fides habebitur duobus aliis Missionariis ea referentibus, quæ ipsi oculis usurparunt toto circiter sex annorum spatio quos eâdem inclusi custodiâ cum P. Sarpetro vixere.

Horum alter est P. Joannes Franciscus Ferrarius, unus ex antiquissimis Sinarum Missionariis, qui epistola è suo illo Kantoniensi carcere data 20. Februa. 1670. ad Emmanuelem Suarez Soc. Jesu Missioni Siamensi præpositum, ita de P. Sarpetro scribit. Habemus hic nobiscum P. Dominicum à Sancto Petro, alias Sarpetri dictum : est Sanctus Siculus. *Pergit laudare viri probitatem, integritatem, studium pacis inter utrumque Ordinem alendæ ac fovendæ, laborem assiduum & contentionem in evolvendis Sinensibus libris, eo duntaxat consilio, ut pacem illam, quam votis omnibus expetebat, facilius procurare posset.*

Alter est P. Adrianus Greslon è Societate Jesu, natus in Gallia : cujus virtutem ac pietatem prædicavit non semel testis locupletissimus D. Abbas de Lice, hodie Episcopus, cui cùm in Sinis unâ versaretur, notus imprimis fuit. Sic autem ille de P. Sarpetro.

PRÆFATIO.

Eximius ille Religiosus, quandiu unâ nobiscum in exilio Cantoniensi versatus est, singulis noctibus horâ post undecimam dimidiâ surgere solitus erat, non secus ac si in Cœnobio regularis disciplinæ observantissimo fuisset, & tres fermè horas orationi tum mentali tum vocali tribuebat. Deinde paululum quieti corpus dabat, rursusque horâ matutinâ quintâ ac dimidiâ surgens Sacrum faciebat: quo absoluto reliquorum Sacerdotum qui aderant, Missas, aut certè quotquot assequi poterat, auscultabat. Eramus autem, dempto illo tres & viginti. Id uno aut altero anno, aut etiam mense fecisse, nec sane laude & merito careret. At fermè sex annis continuis ne tantillum quidem de illo fervore remisisse, eumdemque vitæ tenorem constanter & inviolate servasse, argumento est illum valdè sollicitum ambulasse coram Deo suo, eique fuisse summa pietate ardentique charitate conjunctum.

Post annos ferè sex in custodia Cantoniensi positos, Missionariis in libertatem restitutis, factaque illis ad Ecclesias suas redeundi potestate, jussus est à præpositis suis P. Sarpetrus Missionem pristinam repetere. Qui in labore, consumptis reliquis vitæ annis admodum quatuordecim aut quindecim, diem supremum obiit circa illud tempus quo Apostolici Vicarii Sinas ingressi sunt.

De R. P. Navarreta.

Reverendus Pater Dominicus Navarreta sacrum S. Dominici Ordinem ingressus apud Conventum Rupis fidelis dictum (Peña-fiel) *in Hispania, Philosophiam docuit Vallisoleti : deinde anno 1646. P. Joanni B. Morales in Philippinas revertenti se comitem adjunxit, atque illuc pervenit anno 1648. Post octo seu novem annos partim in Philosophia Theologiaque docenda, partim in missionibus regionum earum positos, redire statuit in Hispaniam:* Cujus consilii causa soli Deo perspecta est, *inquit Dominicanorum historia.* Hist. Philipp. part. 2. p. 260. Navarr. To. 2. lib. 6. cap. 1. 2. 3. &c. Hist. Philipp. p. 2. pag. 33.

Navem conscendit circa initium anni 1657. & post varios casus quos ipse refert Tomi prioris libro 6. Macai cùm esset, mutato repente consilio secum statuit ad eos Dominicanos adire qui tum Missionarios agebant in Sinis. Itaque Sinense regnum sub finem anni 1659. paulo post P. Sarpetrum ingressus est.

Exortâ persecutione anno 1665. Dominicani quatuor, inter quos P. Navarreta, cum Patribus Societatis comprehensi Pekinum primò, deinde Cantonem adducti sunt. Pekini cùm esset ipse, ad R. P. Generalem Societatis Præpositum eam Epistolam quam hîc exhibemus, scrisisse se refert Tomo 2. ubi & illud addit, se planè similes alias dedisse Cantone tum ad eumdem, tum ad R. Ordinis sui Magistrum Generalem. Pag. 2.

PRÆFATIO.

Renovatâ, quemadmodum vidimus, disceptatione de cultu Confucii ac progenitorum deque usu Sinicarum vocum in appellando vero Deo, P. Antonius à Sancta Maria cum P. Navarreta de his scribere pro se quisque instituerunt. Et ille quidem dubitationes suas misit ad P. de Gama Jesuitarum Visitatorem Macai tunc degentem: hic verò suas tradidit P. Pacheco eorumdem Viceprovinciali qui Cantonensi custodia cum aliis Missionariis detinebatur. Hoc scriptum est quod deinde P. Navarreta publicavit Tomo 2. Tractatu 6. sub Informationis *nomine, sed multis additis, multis immutatis.*

Aliquot è Sociis, atque inter alios P. Intorcetta, P. Brancatus, P. le Favre, respondere ad hæc dubia jussi. Primus responsionem suam absoluit P. Intorcetta. Duas concinnavit P. le Favre: fusiorem alteram quæ typis recens edita est: alteram longè breviorem, quam compendiariam responsionem *appellavit. Hæc statim P. Navarretæ tradita illa non nisi post quatuor menses absoluta & Chirographo confirmata, videlicet mense Julio anni 1669. Breviorem illam P. Navarreta eodem Tractatu 6. ferè totam repræsentavit, unaque suam ipse subjunxit, sed auctiorem multo, nec parum diversam ab ejus autographo quod etiamnum asservatur.*

Tom. 2. pag. 357. col. 2. *Patris Brancati responsionem apologeticam 25. Die Junii 1669. sibi traditam esse ait ipse Navarreta. Et initio quidem pollicitus fuerat suam vicissim responsionem prodituram: sed si quam inchoarat, necesse est mutato deinde*

consilio supersederit. Quam enim tractatu 7. Tomi posterioris edidit, satis apparet scriptam non fuisse nisi postquam in Europam reversus erat.

Refert P. Sarpetrus ejusdem socius, cujus ille opera tum in textibus Sinicis interpretandis, tum in suis lucubrationibus describendis utebatur, P. Navarretam lectâ P. Brancati responsione dixisse, Abre camino : pesame no averlo sabido antes : *idest*, viam ille commonstravit : dolet mihi quod ea non prius cognoverim.

Addit Sarpetrus Navarretam perlectis Ritualis Sinici tractatibus earum ope notionum quæ è P. Brancati scripto hauserat, ultro ad P. Viceprovincialem Jesuitarum adiisse, & eâ quâ dictum est ratione cum eo transegisse: factum istud die 29 Septembris 1669. qui dies Archangelo Michaëli sacer est.

Acta res erat primum inter eos vivâ tantum, quod aiunt, voce. At P. Navarreta, seu veritus ne quid iis quæ dixerat adderetur aut detraheretur, sive aliâ quâpiam causa, Declarationem suam scripto tradendam ratus, eadem die illam obtulit in Epistolæ modum. Quamquam enim eadem Domo ipse cùm PP. Societatis commoraretur, inter eos usus ille obtinuerat, ut videre est in iis quæ ultro citroque tunc temporis scripta extant.

Huic Declarationi subjunxit P. Navarreta exemplar articulorum aliquot de quibus inter Jesuitas convenisse aiebat in cœtu quodam anni 1642. apud urbem Ham-chau *Metropolim Provinciæ* Chekiam. *Sed Exemplar illud non*

nisi idiomate Hispanico exhibere voluit, caussatus aliquid obstare quominus ipsum Autographum, quod penes se haberet Lusitanicâ linguâ conscriptum, posset ostendere.

Neque Societatis Provinciali neque alteri ulli Jesuitarum, qui tunc aderant, quidquam de illo cœtu innotuerat. Excusso quoque Tabulario in quo solent ejusmodi acta consultationum asservari diligentius, nihil repertum quod ad eam rem pertineret. Et tamen dicenti P. Navarretæ credere libuit quæ de his articulis narrabat. In quibus cùm nihil appareret diversum ab eo quod fuerat semper ab Jesuitis usurpatum, existimarant P. Navarretam, qui in hæc assentiri se profiteretur, subscribere pariter articulo Cantoniensi 41. quo constitutum erat omninò Alexandri VII. Decreto esse adhærendum.

Dum excutitur tabularium ut diximus, ac de his deliberatur, dies aliquot abierunt: eoque factum est ut Responsum P. de Govea quo P. Navarretæ Declarationem ratam habet dari non potuerit ante diem Octobris tertium. Posterâ die scriptum utrumque à P. Sarpetro comprobatum: qui & aliquanto post Declarationi ipsius P. Navarretæ manu exaratæ subjunxit hæc verba. Fidem facio hoc scriptum esse manu Præsidis nostri R. P. Navarretæ cujus manum apprimè novi, quippe qui multa ab eo exarata descripserim, multasque ejus Epistolas acceperim. Datum in hac Domo Cantoniensi 25. Octobris 1669. Fr. Dominicus Maria à Sancto Petro Ordinis Prædicatorum.

Post eam transactionem non diu apud Sinas

P. Na

P. Navarreta moratus est. Quippe die nona Decembris subduxit se, nemine conscio, ne Collegis quidem ac fratribus suis. Tantum inventa postmodum epistola in ejus cubiculo, quâ monebat se Macaum abire ea mente, ut inde Siamum navigaret, in Europam remigraturus. Et verò profectus anno sequenti Siamum ad Berytensem Episcopum se contulit: in Hispaniam pervenit anno 1672. Inde Romam contendit anno 1673. unde regressus Madritum, Tomos edidit de rebus Sinicis duos, quorum postremus ante editionem absolutam sacræ Inquisitionis mandato supprimi jussus est. Paulò post Archiepiscopus Civitatis S. Dominici apud Hispaniolam insulam designatus, ibi mortuus est antequam sacro ritu inauguratus esset.

De R. P. Joanne de Paz.

part. 2. pag. 160. col. 2.

Ex historia ordinis Sancti Dominici intelligimus P. Joannem de Paz è Conventu S. Pauli Cordubensis, postquam Philosophiam Hispali docuisset ad Philippinas insulas migrasse anno 1648. *In titulo qui ejus responsis Manilæ editis anno* 1680. *præfixus est ita legitur, fuisse* in illustri Sancti Thomæ Aquinatis Manilensi Collegio, atque Universitate Philosophicæ cathedræ iterum, itemque Sacræ Theologiæ vespertinum, indeque quondam primarium lectorem: insuper Regentem studiorum, & semel ac iterum olim ejusdem Collegii, & Universitatis Rectorem, & Cancellarium Manilensis nationis quondam etiam Vicarium Provincialem, Vicariumque S. Telme de Cavite.

Jam in Epistola nuncupatoria ejusdem libri ad R. P. de Monroy totius Ordinis Magistrum generalem, Dominicanus alter è Philippinis virtutem, ac prudentiam singularem P. de Paz ex eo commendat, quod cum totius sanctissimi Rosarii Philippinarum Provinciæ, pulchrum probitatis speculum exactumque sit in ea vitæ regularis exemplar Conventus Malinensis, ter ritè canoniceque ejus fuerit electus in Priorem .... Et quamquam onus istud justis de causis humeris semel excusserit, bis tamen supposuerit eos ad portandum laborem, *vir omnibus religiosæ vitæ numeris absolutus.*

Pergit author Epistolæ in hæc verba

Quot enim ex hoc vitæ ejus atque §. 5. doctrinæ duplici pulchro fonte æstimationis ac commendationis apud omnes rivi profluxerunt, haud facilè dici potest. Ipsum enim Capitula Ecclesiarum, Religiones, Communitates, Tribunalia, infimæ, mediæ, supremæque classis homines, in ambiguitatibus suis, maximè ad mores pertinentibus, ducem eligunt, doctorem consulunt, oraculum venerantur, & ad illud usque terrarum orbis velut effusum oleum nomen suum sic effudit, ut Venerabiles ipsi Episcopi, Sedis Apostolicæ delegati, Provicariique Generales, Notariique Apostolici Tunkinenses ..... in aliquibus dubiis rebus consilium ejus exquirerent, datique doctrinam commendarent.

Denique ad calcem illius libri sic habetur. Impressum Manilæ anno Domini 1680. cum Licentia R. P. F. Baltazaris de Sancta Cruz, Commissarii Sancti Officii, ac Prioris Provincialis Provinciæ Sanctissimi Rosarii Philippinarum : & approbationibus RR. PP. Rectoris & Lectoris Theologiæ, Primarii Collegii Malinensis & Universitatis Sancti Tomæ Aquinatis : cum licentia etiam Ordinarii, ac tandem Gubernatoris Insularum, & approbationibus, quæ in hujus opusculi principio reperiuntur.

De D. Gregorio Lopez Dominicano Episcopo primùm Basilæo deinde Pekini Episcopo.

D. Gregorius Lopez primus è Sinis Religiosus extitit, primus Sacerdos, primus Episcopus. De quo quæ habemus dicenda, colligamus partim ex historiâ Ordinis Sancti Dominici, partim ex P. Navarretæ Commentariis, partim ex iis quæ ab ipsomet Scripta ad nos pervenerunt.

In historiâ quidem Philippinensis Provinciæ legimus D. Gregorium Lopez, quem gentis suæ decus atque ornamentum appellat, *ortum esse in Fogan oppido provinciæ Fokiensis : baptizatus cum fuisset à P. Antonio de Sancta Maria Franciscano, dimissâ re familiari, quæ non modica erat, virgine item, pariter ut ille honesto loco natâ, quam parentum voluntate uxorem, vel potius more gentis desponsam habebat, omnibus ipsique adeo patriæ remisso nuncio, comitem se Patribus Franciscanis addidisse, ut in eorum Missionibus, Catechistæ munere fungeretur : quin etiam eos in ipso exilio prosecutum esse, cum iis transiisse in Philippinas Insulas, ibique in Collegium Manilense Sancti Thomæ à Patribus Dominicanis admissum, linguam Hispanicam primùm, deinde Latinam, postea Philosophiam didicisse, jam annos viginti ætate prætergressum : cùm studiis operam etiamnum*

Part. 2. pag 279. 280.

daret, tantam de ejus virtute existimationem fuisse, ut ipsi Ordinis Præpositi, idoneum existimaverint, qui remitteretur in Sinas, pecuniam Missionariis alendis necessariam ad eos delaturus: perfunctum hoc munere periculoso tùm sanè ac difficili, summa cum zeli ac prudentiæ laude, adjunxisse se ad P. Garciam Missionariorum ejus Ordinis antiquissimum, ejusque in Missionum laboribus adjutorem fuisse tam strenuum, ut jam tum à Christianis Pater appellaretur non secus ac si unus ex ipsis Religiosis foret: præcipuas ejus partes fuisse in ædificandâ ipsorum Ecclesiâ apud pagum Tinteu *: quippe ad illud perficiendum opus & eleemosynas summâ diligentiâ corrogasse, & in coëmendo solo, in congerendis saxis, materia, cœmentis, in operis urgendis, unum omnia præstitisse: inde sacro donatum habitu, rursus Manilam navigasse ut intermissum studiorum cursum repeteret, atque ad sacrum sacerdotii Ordinem se compararet; quo suscepto in Sinas prædicandæ fidei causa rediisse; in eo munere, cùm reliquis virtutibus quæ Religiosum hominem decent suorum nemini cederet, tum verò omnibus longè præstitisse, atque ad Apostolica munia fuisse aptiorem eo nomine, quod & linguam patriam calleret melius & civium suorum mores, instituta, errores atque abusus certius dignosceret: inde factum esse ut Sinæ & ipsi crederent omnia sua libentius, & illum longè pluris facerent.*

Quantum in eo solo præsidii fuerit ad religionem Christianam vel fovendam vel amplificandam intellectum est maximè, toto illo quinque sexve annorum spatio cùm grassante persecutione

huic uni licebat peragrare Provincias, & Christianis opem ferre, quod cæteri Missionarii vel carcere conclusi essent, vel continerent se latebris, è quibus non poterant nisi summo cum periculo erumpere.

Ait P. Navarreta se, Romæ cùm esset, autorem
Tom. 1. pag 409. n. 12. *extitisse ut P Gregorius Lopez Episcopus deligeretur, ac facile crediderim Vicarios Apostolicos ab*
To. 2. p. 645. *eodem primùm edoctos, ea dere & ipsos egisse. Certè in monumentis Dominicanis Romæ editis anno 1675. extat* Relatio Navarretæ ad Sacram
Bag. 693. Congregationem de propaganda fide: *in qua de Gregorio Lopez testatur eum* sacris studiis probè excultum in Collegio & Conventu Maniliensi, & ad negotia tractanda exquisitissimâ prudentiâ *præditum esse.*
Ibid. pag 697. *In Bulla verò Clementis X. anno 1673. mense Septembri data, qua P. Lopez Vicarius Apostolicus appellatus est, laudantur in eo* zelus, doctrina, prudẽtia, dexteritas, integritas, caritas, *&c.*

Sed, qua erat animi demissione, se ad tantum munus electum esse vehementer admiratus, suppliciter atque enixè petiit à summo Pontifice, ut ne sibi tantum onus imponeretur, cui longè se imparem esse sentiret. Verum S. P. Innocentius XI. ad quem post Clementis mortem ea litteræ delatæ sunt, P. Gregorium tanto digniorem eo fastigio ratus, quanto ipse minus dignum se esse crederet, jussit & quidem in virtute sanctæ obedientiæ, *ut cum Episcopatu munus Apostolici Vicarii per sex imperii Sinici Provincias, præter Coreæ regnum acciperet. Perlata sunt hæc mandata sub finem anni 1681.*

Fervebat eo tempore disceptatio de cærimoniis in cultu Confucii ac Progenitorum adhiberi soli-

tis, Cujus instaurandæ controversiæ occasio nata fuisse creditur ex priore P. Navarretæ volumine, quod paucis ante annis Madriti editum, & Manilam primùm, atque inde in Sinas perlatum fuerat. Propterea P. Gregorio Lopez velut antiquissimo sui Ordinis apud Sinas Missionario & linguæ peritissimo, Patriorumque rituum ac doctrinæ Sinicæ optimo æstimatori, cura fuerat à Præpositis demandata, ut quidquid super ea re posset in libris Sinarum Classicis reperire, diligenter colligeret. Scripsit igitur his de rebus tractatum quem absolverat die 12. Decembris anni 1681. circa illud tempus scilicet quo Pontificiæ Bullæ ad Sinas pervenerunt.

Tum verò ipse adhibito fratrum suorum Dominicanorum consilio decrevit, statim atque sacro ritu inauguratus esset atque in possessionem de more venisset, Missionariorum cœtum ex omnibus Religiosis Ordinibus, cogere qui Missionem hanc procurabant: quo in cœtu re tota discussa atque agitata constituerentur primùm quæ ad facti quæstionem pertinent: tùm pars utraque suas informationes scriberet iis de rebus quæ venire etiamnum possent in controversiam, eæque informationes unanimi consensu Romam ad Sedem Apostolicam mitterentur.

Re sic constitutâ, ut intelligitur ex ejus litteris tùm ad P. Philippum Couplet, tùm ad Ordinis sui Magistrum Generalem, dum occasionem expectat in Philippinas transeundi, ut inde Siamum inaugurandus tenderet, non cessavit à diligenti librorum Sinicorum lectione, quo tractatum suum & accuratiorem & locupletiorem, ut postea fecit, Romam posset transmittere.

Quid hujus libri seu tractatus occasione Mani-

la perpessus fuerit, narrat ipse datis ea de re litteris tùm ad summum Pontificem tùm ad sacram Congregationem de propaganda fide. Ac verisimile est non alia de causa contigisse, ut cœtum Missionariorum, quemadmodum decreverat, reversus in Sinas post consecrationem suam, Siami peractam, cogere non potuerit.

Ut ut est, scriptum suum tunc retractandum & in meliorem formam redigendum suscepit, usus ad id opera R. Patris à Leonissa Franciscani, qui nuper Episcopus Berytensis appellatus est. Is ipse Gregorii tractatum latinè vertit; quæ interpretatio Romam missa subscripto tàm Gregorii Lopez quàm ipsius à Leonissa nomine anno 1686. mensis Augusti die 18.

Porro tractatum hunc instar commentarii cujusdam esse rectè dixeris, in quo sincerè atque optima fide refert quidquid in libris Sinicis observarat, quod alterutri parti favere videretur: sic tamen ut non dissimulaverit quid judicaret ipse, & quo sensu intelligi deberent ii librorum Sinicorum textus, qui contra suam Sententiam adduci possent.

Postquam Vicarius Apostolicus primum, atque Episcopus, ut aiunt, in partibus, *creatus esset, ad Episcopatum deinde Pekinensem translatus est. In utroque autem munere uti testatur is qui nuperam Dominicanorum Apologiam scripsit,* Pag. 365. Quidquid suarum partium fuit, cum summa pietatis ac prudentiæ laude sedulo explevit, ac demum Nankini obiit magno sui desiderio relicto cùm Missionariis omnium Ordinum, tùm vero Christianis apud quos ejus memoria in benedictione est.

R.P.Fr.



R. P. Fr. DOMINICI

MARIÆ SARPETRI

TESTIMONIUM

DE LIBRO SINICO

PATRIS MATTHÆI RICCII,

qui inſcribitur Tien-chu Xe-y.

EGo infra-ſcriptus Fr. Dominicus Maria Sarpetrus ordinis Prædicatorum lector, cùm ſæpiùs atque attentè legerim librum Patris Matthæi Riccii è Societate Jeſu, quem is Sinicè conſcripſit, *Tien-chù Xe-y* dictum, hoc eſt, *Cœlorum Domini vera ratio*, quo quidem libro potiſſimùm de Deo agit: teſtor quod dictus Pater materias, quas ibi tractandas ſuſcepit, adeò doctè ſimul & feliciter exhauſit, ut Miſſionariis, qui poſt illum deinde in hac Sinenſi vineâ laboraverunt, parum vel etiam nihil relictum fuerit circa dictas materias, quod dictus Pater partim explicitè fuſéque, partim implicitè & compendio non ſit complexus.

Teſtor item mihi crebrò veniſſe in mentem, quod dictus liber opus eſſet ejuſmodi, ut ſine revelatione divinâ aut ſpeciali Dei auxilio non

potuerit ab authore perfici. In quorum fidem hisce manu meâ subscripsi. Ex *Quang-cheu* Metropoli Provinciæ Sinarum *Quang-tung*-dictæ, 9. Maij 1667.

Fr. Dominicus Maria Sarpetrus, aliàs à Sancto Petro testificor, ut suprà; & quatenùs opus fuerit, juramento confirmo.

FIDES
SEU
TESTIMONIUM
R.P.Fr. DOMINICI MARIÆ
SARPETRI
DOMINICANI,

De Praxi Missionariorum Sinensium è Societate Jesu,

Circa Confucium & Progenitores defunctos.

EGo Frater Dominicus Maria Sarpetrus, alias de Sancto Petro Siculus, ordinis prædicatorum, olim in studio generali Sancti Dominici de Panormo, per susceptionem tituli Lectoratus, ad lectionem Sacræ Theologiæ approbatus & in conventu S. Zittæ ejusdem civitatis Panormi, Lector actualis Philosophiæ, fidem facio omnibus & singulis, præsentes litteras inspecturis

1. Quod cum ex mandato Superiorum meorum Provinciæ Sanctissimi Rosarii Philippinarum ejusdem ordinis, ad hoc regnum Sinarum Evangelicus prædicator missus venissem; & ex novo iterùm Superiorum mandato;

quam potui diligentiam per octo annorum spatium adhibuissem, ut de Sinicarum sectarum superstitionibus certior fierem; judico, praxim, quam Patres Missionarii Societatis Jesu in hoc regno Sinarum se fatentur sequi circa permissionem, seu tolerantiam quarumdam cæremoniarum, quibus Sinæ Christiani Philosophum Confucium, & suos progenitores defunctos venerantur, esse non solùm tutam (utpote a sacra Congregatione universalis Inquisitionis approbatam) sed etiam si principia præcipuarum sectarum expendamus, esse oppositâ sententiâ probabiliorem, & ad aperiendam Ethnicis januam Evangelii, maximè utilem, ne dicam necessariam.

Probabiliorem quidem: quia qui profitentur tres sectas Sinarum præcipuas, alii, ideſt, litterati ex magiſtri ſui Confucii decreto, de rebus inviſibilibus non diſputare, nec bona præſentis vitæ quærere edocti ſunt: & aliquid ab alio ſperare, quàm à Cœlo vivente, quidquid illud ſit, vel cum eodem Cœlo in omnibus ſive proſperis, ſive adverſis non ſe conformare, nefas putant. Alii, id eſt, qui ex duabus ſectis Idololatricis *fóe & táo*, alterutram profitentur, defunctorum animas, vel veluti quendam aërem diſſipari vel in inferno ad tempus detineri, vel tranſmigratione quadam Pithagoricâ denuò renaſci judicant (paucis tamen exceptis animabus, quas in *Fôe*, vel *Xiſi*, *Sien*, converti dicunt, & in Deorum quaſi numerum, vel immortalium hominum adſcribi) adeòque tantùm abeſt, ut ab aliis ſe adjuvari poſſe credant, quod è contrario ip-

sos Idolorum sacrificulos ad suorum defunctorum animas adjuvandas sæpè vocent, ut per eorum scilicet suffragia citiùs, feliciusque renascantur.

Consultò dixi: *Si principia præcipuarum sectarum expendamus*, sive earum primariam institutionem; nam si præsentis temporis status consideretur, nihil sanè certi determinari potest, quippe tantùm infidelium cæcitas invaluit, ut nec ipsi se ipsos intelligant, adeóque rectè hac nostra ætate de Sinensibus dici possit, quot capita tot sententiæ. Utilem verò, quia cùm omnes Sinæ prædictas cæremonias ad cultum obedientiæ filialis reducant, si omninò ipsis eæ interdicantur, malè sentient de nostrâ sanctâ lege; quasi hæc prohibeat filios honorare parentes: quod erit in maximum missionis Sinicæ detrimentum, & fidei propagationi obstaculum: eò vel maximè, quia Sinenses, quamvis sint variis superstitionibus involuti, tamen si ipsis proponatur non debere defunctis aliquid numinis tribui, vel ab ipsis bona petere, aut sperare, vel gratis concedunt, vel ad credendum facilè inducuntur; maximè si ex ipsis suarum sectarum principiis rationes ad hominem desumantur. E contrario, si ipsis dicamus, nequaquam illis licitum esse quidquam offerre defunctis eo modo (ut ipsi dicunt) ac si vivi essent, in grati animi signum, & filialis obsequii, cum maximâ difficultate induci possunt, ad hoc credendum: & si credant, tamen experiuntur quamplurimas difficultates, non sine magno subversionis periculo: quod eventus probavit, non semel, aut rarò contigisse.

2. Fidem facio, quod Patres Societatis Jesu, in hoc regno Sinarum, Christum crucifixum, non solum verbo, sed etiam multorum librorum voluminibus, Ethnicis annunciant; & de Sacræ passionis mysteriis suos Neophytos diligenter instruunt, & in aliquibus residentiis adsunt sacræ Passionis Confraternitates erectæ; & novissimæ persecutor sanctæ legis *yam quàm sieñ* dictus, hoc potissimum, contra Evangelii præcones opponit, quod scilicet hominem crucifixum, pro Domino cæli, & terræ venerantur: quod quidem ex librorum Patrum societatis testimonio comprobavit.

3. Fidem facio, & quatenus opus est, juramento confirmo, quod ad duo prædicta testimonia proferenda (sicuti & ad aliud, quod anno præterito, nono Maij protuli, circa librum venerabilis Patris Matthæi Riccii Societatis Jesu, *Tieñ chü Xe y* dictum) non alterius precibus vel suasu, sed solo veritatis amore impulsus fui: considerans enim quod dubia, quæ circa supradictas materias vertuntur, non sunt juris, sed facti (ut sacra Congregatio innuit) & facti circunstantiæ in rebus moralibus ad arbitrium pii, & docti viri dijudicandæ sunt, durissimum mihi visum est, actus illos, quos tot, tantique Societatis Missionarii (quorum ego, per trium annorum curricula cum ipsis degens, familiariter tractans, charitatem expertus, doctrinam, pietatem, fidei zelum, morum probitatem, ne dicam sanctitatem, optimè novi) ipsorumque tot alii, non parvi nominis prædecesso-

res, ac venerabiles Sinicæ missionis patres, quos, inquam, actus tot, tantique viri judicarunt, vel judicant esse politicos, eos superstitiosos esse tenaciter affirmare.

Sciens ergo, quod propter quædam dubia, quæ circa supradictas materias P. F. Joannes Baptista de Morales ejusdem Ordinis, & Provinciæ SS. Rosarii Philippinarum vir planè Apostolicus, zelo fidei ductus, proposuit sacræ Congregationi universalis Inquisitionis, anno 1646. quidam minus piè erga societatem affecti, cùm in Europa, tum in Indiis promulgarunt, Missionarios Societatis in regno Sinarum, non prædicare Christum crucifixum; insuper permittere Christianos suos idololatrare; ne & ipse tacens consentire viderer cum illis, & ut tantorum Patrum famæ, eo, quo possum modo, satisfacerem, præsens judicium protuli: illud tamen subjiciens sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio certiori in cujus fidem has litteras dedi, & manu propria subscripsi. D. in hac domo Cantoniensi, in qua loco carceris, vel exilii pro causa fidei detinemur, die 4. Augusti anno 1668.

F. Dominicus Maria Sarpetrus aliàs de *Sancto Petro*, qui supra.

EPISTOLA EJUSDEM
R. P. SARPETRI
SIVE A SANCTO PETRO
DOMINICANI,

Ad Sacram Congregationem de Propagandâ fide.

EMINENTISSIMI DOMINI.

POstquam vastissimum Sinarum Imperium per tot sæcula sancti Evangelii luce caruit, nunc tandem has Missiones æquis oculis aspicere videtur ille misericordiarum Deus, *qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Quanquam enim ejus indulgentiam peccata mea præpediunt, tamen placuit ipsi notam facere potentiam suam huic genti quæ minus est ad Idolorum cultum quàm ad atheïsmum propensa. Itaque cum jam eò res devenissent ut propediem morti addicendus esset venerabilis Pater Adamus Schall è Societate Jesu, cæterique Missionarii in ultimam Tartariam ablegandi, tum insolito concussa motu terra tremuit ac cælo fulsere cometæ terribiles. Prætereà verò ea contigêre portenta quæ nullum facerent dubium aliquid inesse prorsus insolitum ac supra naturæ ordinem; unde Ministris Evangelicis crescit

in

in dies ſpes illa fore ut brevi munera ſua repetant atque meſſem colligant longè uberrimam.

Portenta hæc qualia fuerint expoſui ſatis eâ chartâ quam ad hanc epiſtolam adjunxi; cætera verò quæ ad hujus Miſſionis ſtatum & eam quâ nunc premimur perſecutionem attinent, Sacra Congregatio diſcere facilè poterit ſive ex iis relationibus quas Romam Societatis Jesu PP. miſêre; ſive potius ex ipſo Patre Proſpero Intorcetta Siculo ejuſdem ſocietatis qui ob ſuam eximiam ſingularemque dignitatem ac præſtantiam coram aliis ex utraque familiâ Religioſis electus eſt procurator qui non ſuorum modò, ſed & omnium Miſſionariorum nomine Romam proficiſceretur, cujus ſingulas virtutes ſi fuſius hâc epiſtola perſequerer, vereor ne vos longiori ſermone detinerem; neque dubito quin ipſo uſu ac conſuetudine vos ipſi quid de tanto viro ſit exiſtimandum pro veſtrâ prudentiâ judicetis.

Sed ecce dum hanc Miſſionem Deus tot beneficiis auget atque amplificat, videtur adverſarius noſter diabolus vires omnes ad eam diſturbandam exercere, atque inter turbationes plurimas quas hoſtis ille peſtifer & excitavit jam pridem & etiamnum excitat, longè præcipua meo quidem judicio habenda eſt illa quæ oritur ex diverſitate ſententiarum inter Miniſtr s Evangelicos, quorum animos ac corda nulla diaboli vis diſtrahere potuit. Et ſub hujus quidem Miſſionis exordium, priuſquam tum ex ſancto meo Ordine tum ex ſancti Franciſci familiâ Religioſi huc adve-

B



nissent, fuerat inter PP. Societatis aliqua contentio à Sinensium litterarum ambiguitate & Sinicorum interpretum in interpretando diversitate profecta. Sed quoniam tota disceptatio se inter ipsos continuerat, neque foras erat progressa, facile fecerunt Præpositi Societatis ut eam sedarent & expensis utrinque rationum momentis statuerent de totâ re, quod optimum ad amplificandam Dei gloriam esse videretur.

Est inter alia de quo rursus haberi quæstionem Dæmon hoc tempore procurat, scilicet de nomine *Xam-ti*, quo Deum Optimum Maximum Sinicâ linguâ appellamus, & de aliis nominibus quibus Angeli ac spiritus atque hominis anima designantur & de quibus constitutum sapienter à Præpositis Societatis, fuit, ne qua mutatio fieret in libris jam editis, in quibus *Xam-ti* vox fuerat usurpata, sed ut eâ voce deinceps abstinerent Missionarii nisi cum coarguendi essent Athei ex ipsorum principiis atque ex iis libris quorum authoritatem ac fidem agnoscunt. Equidem Patris Intorcettæ rogatu atque hortatu scripsi linguâ Hispanicâ quid eâ de re censerem, & scriptum meum Eminentiis Vestris si libuerit, velim exhiberi.

Postquam ex aliis Ordinibus Religiosi penetrarunt in Sinas, ortæ contentiones & acriores fuerant, atque ut inter homines Instituto ac familiâ diversos, longè difficiliores ad componendum. Præcipua fuit ea quæ spectat ad honores eos, quos Sinenses exhibent progenitoribus & cuidam Philosopho morali

quem Confucium appellant;cujus tanta est toto regno dignitas atque authoritas, eam ut repudiare nemo possit, ne illi quidem Philosophi qui in alia prorsus omnia abierunt, & tam à Confucio quàm à se invicem dissentiunt. Et quia decidi ea controversia ac definiri non potest, nisi ex textu librorum qui apud Sinas classici vocantur,atque ex eorum authoritate; qui eos libros commentariis illustrarunt, quorum verum sensum assequi ac certò comprehendere, ut mihi quidem persuasi ex conscientiæ testimonio ac judicio, non difficile modò,sed & impossibile prorsus est ob singularem Sinensium litterarum atque hujus linguæ verborum ambiguitatem;Idcircò PP. Societatis id unum sibi faciendum esse duxerunt, ut id quod est maximè probabile sequerentur in hujus Philosophi doctrinâ & in eâ ratione quâ eam viri litterati hujus temporis accipiunt atque interpretantur.

Qui cum Athei vulgò sint, atque hanc insaniam audeant sibi laudi ducere, cultum merè civilem ac politicum volunt esse illud omne quod in colendo Confucio solent adhibere; quod verò exhibent progenitoribus,nihil aliud esse dessendunt, quàm filialis obedientiæ notam & testimonium. Neque verò videntur unquam voluisse, quantum potest ex eorum tum dictis tum scriptis existimari, vel Confucium evehere supra Doctoris dignitatem ac gradum, vel progenitores aliter quàm parentes atque authores vitæ venerari, aut eos in Idolorum numero ponere; quanquam in iis colendis admisceant sæpè multa superstitiosa

atque etiam, ut venit inter homines vulgi, quædam Idololatriæ propiora.

Inde nimirum factum est ut tam Dominicani nostri quam Franciscani solius præsentis temporis habitâ ratione satius eac tutius existimaverint omnia prorsùs sine ullo discrimine tollere, ac Neophytis interdixerint omni cultu qui solet Confucio ac progenitoribus exhiberi; tum eâ de re sacram Congregationem generalis Inquisitionis adierint & consuluerint.

Sed quoniam ea ratio parum erat accommodata ad promovendam horum miserorum infidelium conversionem, sua pariter postulata Societatis Jesu PP. ad sacram Congregationem miserunt. Atque ex peculiari Spiritus sancti lumine sacra Congregatio rejectis variis ritibus qui illiciti aut sunt aut videntur esse in Confucii cultu, illud permisêre quod civile tantùm ac politicùm haberi potest, quodque ut tale haberi volunt litterati Sinenses, quantum potest ex eorum factis existimari; neque enim ullâ ratione adduci possunt ut profiteantur se quidquam à Confucio postulare, ne scilicet ipsius placitis ac dogmatibus videantur adversari. Jam quod ad progenitores spectat sacra Congregatio cæremonias quasdam quæ per se vel bonæ vel certè indifferentes esse videbantur, inter Christianos tolerari jussit, ut & ipsi pacem cum infidelibus habere possent, atque facilius infideles ad Ecclesiam quod est Dei regnum, adduci.

Sed quia ex usu Curiæ Romanæ responsum hoc paucis omninò verbis contineri necesse

fuit, orta est quibusdam suspicio, nùm res prout hîc geritur exhibita Romæ atque ex veritate proposita fuerit. Atque ego quanquam mihi nunquam planè insedit ea suspicio satisque perspectum habui quanto studio ac zelo Societatis Jesu PP. fidei securitatem prosequerentur, tamen non constitueram prorsùs quid esset existimandum, subverebarque ne quid inesset erroris saltem involuntarii. Verùm ita providente Deo factum est ut in hanc Cantoniensem domum conveniremus ex tribus Ordinibus Missionarii, unde mihi datum est Societatis Patribus uti perquàm familiariter atque eorum zelum ac peritiam perspicere. Igitur discussis iis quæ mihi scrupulum aliquem injecerant planè cognovi atque intellexi quid sacra Congregatio vellet observari. Quare Patri Intorcettæ tradidi suffragium sive documentum Latinè scriptum, quod sive in Indiis, sive in Europa posset exhibere, quoties conducere id arbitraretur ad obsequium Dei, ad Societatis propugnationem, atque ad obturandum os hæreticorum qui Societatem maledictis ac calumniis suis lacessere atque in invidiam vocare contendunt.

Cæterùm quæ scripsi, meo solius nomine, non ex aliorum Ordinis mei Religiosorum sensu ac judicio scripsi. Neque enim ego sum in ulla Præfecturâ constitutus, & tam illi duo qui mecum hîc degunt, quàm alii tres qui in Fokiensis Provinciæ latebris abditi manent, nondum sibi satis ad omnia sua dubia factum esse profitentur. Verùm ita fore confido ac mihi de bonitate divina spondeo, ut postquam

PP. Societatis responderint difficultatibus iis quas proposuit Superior hic noster (*is erat P. Dominicus Navaretta*) atque ipse perspexerit quàm verè totam rem, atque ut erat, P. Martinius ad sacram Congregationem retulerit, ita perfecta sit inter nos animorum sententiarumque consensio; quandoquidem P. Vincentius Prot Vicarius noster Provincialis in Imperio Sinensi, unus ex iis qui se latebris continent, ad prædictum Superiorem nostrum procurationem suam misit, quâ pollicetur ratum se habiturum illud omne quod ipse statuisset ad bonum pacis, atque ad procurandam inter Evangelii Ministros in agendo concordiam.

Unus est cujus consensum dubito vehementer an nobis polliceri possimus. Is est Antonius de S. Maria, solus ex Franciscanorum Ordine qui nunc in Imperio Sinensi degat: Cum enim ille jamdiu vel absque socio vitam agat vel eum habeat socium qui ex obedientiæ atque humilitatis Christianæ præscripto ipsi assentiatur atque obtemperet in omnibus quicquid sibi sentiendum esse duxit, non tanquam opinionem probabilem sed tanquam fidei articulum intuetur; & quanquam in sententiæ suæ proponendis argumentis judicio utatur atque intellectu, cùm tamen iis argumentis respondendum est, quæ contra opponuntur, jam non judicii, sed solius voluntatis motu ducitur. *Numquam*, inquit, *id faciam, numquam illud permittam*, atque aliquando contigit, ut cùm ego ipsum monerem ne tam facilè Patrem Martinium mendacii ac

fallaciæ accusaret, quin potius attenderet ad sanctæ matris nostræ Ecclesiæ bonitatem atque indulgentiam, quæ posthabitis Patris Joannis Baptistæ de Morales postulatis, ea tamen permisisset quæ ipsi Joannes Baptista de Morales, & Antonius de S. Maria prorsus toleranda non esse censebant: *atqui* suscepit ille, de Qualificatoribus aut Inquisitoribus loquens, *Si ea volunt concedere, mittant ex urbe Româ qui ea prædicent, certum est enim mihi potiùs à Missione discedere quàm ad id me demittam.*

Equidem sic existimo eum nimio quodam zelo abreptum ita locutum esse, atque hæc verba ipsi incogitanti excidisse; nota est enim mihi viri virtus atque eximia probitas; neque dubito quin iis pareat omnibus, quæ fuerint à Sacra Congregatione constituta. Verùm & illud mihi certum videtur, eum esse hominis animum, ut nisi Sacra Congregatio quædam permitti Neophytis expresse jubeat, nihil ille prorsus ipsis permittat; neque enim ignoro ipsum aliàs professum esse, nihil se permissurum, nisi quod fuisset ab Ecclesia districtè ac positivè præceptum.

Quanquam ipsius virtutem atque Apostolicum zelum summâ observantiâ prosequor, liceat tamen hoc profiteri, eam agendi rationem videri mihi maximè nostris omnibus Missionibus nocere; meque admodùm vereri ne qua subsit inimici fraus & fallacia. Neque enim Sinenses Neophyti aut etiam infideles persuadere sibi possunt tantam esse posse inter prædicatores fidei sententiarum diversitatem, illæsâ atque illibata charitate, & cum alios

aliter loqui perſpiciunt, ſimiles nos arbitrantur Bonziorum ſuorum, qui idolorum Sacerdotes ſunt & ſacrificuli, quorum quiſque quicquid collibuit docet. Unde contingit ut non ſolùm ſcandalo ſit noſtra diſſenſio; verùm etiam ſanctæ legis noſtræ veritas revocetur in dubium; atque utinam minor eſſet utriuſque hujus incommodi pertimeſcendi cauſa.

Ac quaſi P. Antonius de S. Maria ſuo zelo ſatis eſſe non duceret, quod tam acriter ſuam de Confucio ac Progenitoribus ſententiam tueatur, jam inſtaurat ac renovat priſcam illam de voce *Xam-ti* controverſiam, quâ quidem in re parùm ſibi ipſi conſtat. Cûm enim id tamquam certum atque indubitatum ponat Sinenſes neque antiquos neque recentiores ullam agnoviſſe aut divinitatem aut ſpiritualem atque incorpoream naturam, non video quo pacto idem indubitanter aſſerere poſſit à Sinis Confucium ac progenitores adorari.

Quæſtiones alias duas idem ille ſuſcitavit; alteram de jejunatoribus atque abſtemiis Sinenſibus, alteram de uſu pilei inter miſſæ ſolemnia. Ac primum quidem non attingam quandoquidem eò res adducta videtur eſſe, ut ipſo invito licet ac repugnante, una atque eadem inter Miſſionarios omnes agendi ratio ſervetur. Neque enim ea res pertinet ad ea quæ fiunt ſed ad ea quæ fieri poſſent, quæ cùm in ſingularibus quibuſdam eventis poſita ſint, iis facile occurri poterit, ita ut nullatenùs pax inter Miſſionarios, atque in agendo conſenſio diſturbetur.

Jam quod ad pileum attinet, vellet P. Antonius

tonius de S. Maria nos omnibus Neophytis præcipere, ut nonnisi aperto capite in Ecclesiâ essent; nosque ipsi Sacerdotes contra summi Pontificis veniam & eas rationes quibus ad id concedendum summus Pontifex adductus est, nonnisi aperto capite Missam faceremus.

Ac primùm quidem si jubentur Neophyti aperto capite esse in Ecclesiâ, jubentur scilicet nullam Deo ac Domino nostro significationem honoris exhibere, siquidem constans est apud Sinas opinio atque omnium suffragio comprobata minus esse reverentiæ in aperiendo quàm in operiendo capite. Ita fert consuetudo, ita Sinensis urbanitas & politia postulant. Frustra tentet quispiam aliud hominibus urbanis atque elegantibus suadere. Ac si quis forte in aliam sententiam adduci videretur eum sibi ipsi vim afferre oportet & quemadmodum tum facimus, cùm *captivamus* intellectum nostrum *in obsequium fidei* atque illi quidem qui illud sibi persuaderi sinerent & pauci omnino essent & Gentilium irrisionem ac ludibria sæpius paterentur. Neque id tantùm verendum esset, posset enim fieri ut Gentiles hoc sibi fingerent, nos eo consilio advenisse ut ipsos ad novas urbanitatis leges institueremus, ac mores nostros paulatim ac consuetudines in perversum aliquem finem induceremus in Sinas, quod si contingeret, levi profectò nec satis dignâ de causâ persecutionem in nos ipsi excitaremus. Hoc adeò ex eo patet quod ipse P. Antonius de S. Maria cùm neque imperare sibi posset ut Sinas suæ

bonæ fidei permitteret, sineretque ex usu veteri capite operto sacrificio Missæ interesse, & Gentilium tamen querelas & convicia sedare vellet, multos jam annos desiit sacramenta fidelibus administrare. Quasi verò tantum Religionis non sit in operiendo capite quantum in aperiendo, si fiat utrumque reverentiæ testificandæ atque honoris exhibendi causâ.

Sunt quidem tres quatuorve Societatis PP. qui morem hunc paulatim in Ecclesias nostras induci percuperent; sed quis non videt hoc pacto discrepantiam eò induci ubi nihil æquè necessarium est quam par atque eadem agendi ratio? illi enim qui aperirent caput & pauci essent numero, ut jam dixi,& cæteros omnes haberent repugnantes, atque adeò in illud idem incommodum res tota recideret.

Nam quod ad Sacerdotem attinet minimè decet profectò eum solum capite aperto esse dum laïci omnes caput opertum habent. Præterquam quod Tartari, penes quos jam summa potestas est capite raso solent esse præter cirrum quem gestant Maurorum Africanorum ritu; quem sanè ritum à Sacerdotibus nostris servari dum altari deserviunt parùm decorum atque honestum videtur. Hinc est quod quanquàm P. Antonius de S. Maria Patri Joanni Baptistæ de Morales Romam proficiscenti dedisset in mandatis si bene memini, ut de eo ageret, noluit tamen ille cum Romæ fuit, tentare ut in eâ re quicquam immutaretur. Neque verò tam facile foret, quàm videatur

fortasse cuipiam, novum hunc usum atque consuetudinem inducere.

Cujus rei testem me optimum possum profiteri. Cum enim per calores æstivos hoc mihi indulgere voluissem ut capite aperto missam facerem quanquam & pauci essent in templo Christiani & quantum quidem memini, noctis adhuc tempus esset, eâ re ita commoti sunt, ut mihi deinceps summoperè cavendum existimaverim, ne quid unquam simile committerem.

Atque hæc sunt quæ officii mei esse duxi ad sacram Congegationem referre, tum ut iis prout expedit possit occurri, tum ut si quid tale P. Intorcetta de P. Antonio de S. Maria ad Vestras Eminentias retulerit non minor ipsi fides habeatur eo quod Jesuita sit, quo nomine quanquam videatur in propriâ causâ ferre testimonium, nulla tamen debet esse de ejus probitate suspicio, neque minus tribui ejus autoritati pondus.

Jam verò quidquid Eminentiis Vestris statuere libuerit etiam contra meam atque horum omnium PP. sensum, judicio vestro ac definitioni jam nunc adhærere me profiteor, neque dubito quin optimum illud sit habendum quod fuerit à Vestris Eminentiis definitum. Quas Deus ad multos annos in Ecclesiæ suæ bonum servet incolumes. Ex Cantoniensi domo quæ nobis exilii seu carceris locus est 12° Nov. anno 1668.

Cùm utar scriptione minutissima atque ad perlegendum difficili, verebar ne Vestris Eminentiis molestæ meæ litteræ essent; itaque

his annis ſuperioribus ad Eminentias Veſtras non ſcripſi, neque de Patris noſtri Joannis Baptiſtæ de Morales morte retuli. Benedictus Deus in æternum cujus providentiâ factum eſt ad ſingulare Miſſionis hujus bonum ut hac in domo repererim qui hanc epiſtolam exſcriberet. Certè id unum ſtudent Miſſionarii Sinenſes omnes,ut divinæ gloriæ amplificandæ ſerviant,quanquam alii zelum atque auſteritatem, æquitatem alii ac manſuetudinem præ ſe ferant. Equidem omnia mea ſenſa perlibenter ad veſtrum nutum ac judicium accommodabo, doceri me,& ſi quid erravero,coargui non invitus patiar à vobis, quibus Chriſtus Dominus noſter Chriſtique ſummus in terris Vicarius hanc dedêre provinciam ut per certiſſima quæque media ſanctæ fidei noſtræ propagandæ conſuleretis. Quod pariter unum omnium votis omnibus expetere non deſino.

EMINENTIARUM VESTRARUM

Humillimus atque obſequentiſſimus Servus F. Dominicus Maria de S. Petro Dictus Sarpetri ex Ordine FF. Prædicatorum, Miſſionarius Sinenſis indignus.



TRACTATUS

Reverendi Patris Dominici à Sancto Petro Dominicani, Missionarii Sinensis, seu brevis explicatio rationum aliquarum, propter quas Christianis Sinenbus liber relinquitur usus cæremoniarum, quibus Confucium & progenitores suos venerantur, quemadmodum permisit Sacra Congregatio Inquisitionis Universalis sub Alexandro VII.

ARticulus 41. actorum illius congressûs qui habitus est in hac urbe Cantoniensi inter Missionarios Ordinum trium viginti tres, planè sic habet: *Circa cæremonias quibus Sinæ magistrum suum Confucium & mortuos venerantur sequenda omninò sunt Responsa Sacræ Congregationis Universalis Inquisitionis à SS. D. N. Alexandro VII. approbata, quia fundantur in valdè probabili opinione, cui nulla contraria evidentia opponi potest.* Et quanquàm hîc Patres Societatis JESU pro solitâ suâ modestiâ, atquè ut pacem, concordiam, & agendi consensionem inter Evangelicos Ministros stabilirent ac firmarent, habuerunt satis opinionem suam *valdè probabilem* dici, neque voluerunt dicere probabiliorem oppositâ; tamen illud ipsum mihi ex conscientiæ meæ dictamine facien-

dum jam dudum esse duxi, quò simul & hæreticos hujus temporis confutarem ac convincerem, qui videntur has nostras controversias Sinenses causæ suæ utiles arbitrari, atque inde famam Patrum Societatis Jesu labefactare conantur; & aliquos etiam Catholicos ab errore revocarem, qui vel invidiâ vel odio ducti, vel nimio fortasse zelo, sed *non secundùm scientiam*, abutuntur iis quæ geruntur in hoc Imperio atque hæreticos imitantur sive libellis famosis spargendis in vulgus, sive thesibus publicè propugnandis cum summâ injustitiâ contra sanctæ hujus Societatis Patres, quibus tantum nos debemus Missionarii Ordinis Sancti Dominici, sive ex charitate, sive ex gratitudine, ne dicam ex æquitate ac justitiâ.

Eam ob rem misi tunc temporis in Europam testimonium meum, quo affirmabam cum juramento usum cæremoniarum earum, quibus Confucii & mortuorum memoria colitur, fundari in opinione probabiliori quàm usum & praxim oppositam. Ac tum quidem aliqua tantum adduxeram argumenta, quæ mihi satis esse videbantur ad rem conficiendam; jam verò sic existimavi facturum me operæ pretium, si quàm brevissimè potero, clariùs tamen atque expressiùs proposuero fundamenta eorum argumentorum quibus evidenter probatur sententiam Patrum Societatis Jesu esse probabiliorem eâ, quam ipsorum adversarii tuentur.

Quod ideò faciam, ut collegis meis Patribus ex Ordine sancti Dominici, qui huic Missioni excolendæ & diutius inservierunt quàm ego

feci, & olim etiam præfuerunt, meam agendi rationem approbem; sic enim mihi persuasi prorsus ipsos rectâ intentione duci ac zelo sincero ad majorem Dei gloriam atque animarum salutem procurandam incumbere, denique nihil habere optatius, quàm ut eo quod verum ac rectum est percepto & cognito habeant *pacem ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.*

Scilicet ita confido fore, cum illi rationum nostrarum momenta perpenderint, ut non modò intelligant me ea quæ hic gesta sunt, rectè deffendisse, verùm etiam gaudeant id fecisse me, quod ipsi fortasse priores facere debuerunt, cùm huic Missioni præfuerint, cui nunquam ego præfui, spero denique operam eos daturos, ut iis Legibus pareatur, quas P. Navarretta ex potestate sibi ab ipsis commissâ cum Patre vice-Provinciali Societatis eo animo sanxit, ut inter Ordinis utriusque Missionarios pax & concordia servetur, atque in eâdem agendi ratione consensio.

Duplex est apud Theologos *probabilitas*, alteram vocant *intrinsecam*, atque ea petitur ab iis argumentis quibus nititur opinio aliqua in *Morali*, alteram *extrinsecam* quæ ducitur ab autoritate & numero Catholicorum Doctorum his positis sit.

PRIMA PROPOSITIO.

PRobabiliùs est per se & intrinsecè cæremoniis iis, quas Sacra Congregatio sub Alexandro VII. Neophytis Sinensibus adhi-

bere permisit in honorem Confucii & mortuorum, quasque à se permissas Societatis Jesu Patres confitentur, cultum merè civilem ac politicum contineri; atque has cæremonias superstitiosas esse qui deffendunt, sententiam sequuntur longè minùs probabilem.

Dixi agere me de iis cæremoniis, pro ut *eas à se permissas Jesuitæ confitentur*; atque ita planè jam dixeram in eo testimonio quod juramento confirmatum in Europam misi. Ubi nominaveram *praxim quam Patres Societatis se profitentur sequi*: Quod idcircò feci, quia et jam factum esse novimus, & verò fieri potest interdùm, ut aliqui ex nostris Neophytis sive ex inscitiâ, sive etiam malo animo, plus in eâ parte faciant, quàm per Jesuitas liceat, ac deindè factum suum tueantur atque excusent adductâ falsò praxi Societatis, atque eorum Christianorum quos Societas habet erudiendos. Id operæ pretium est diligenter à Patribus Dominicanis adverti. Quod nisi fiat, facilè continget, ut in multos errores labantur & gloriæ Dei contrarios, & existimationi ac famæ tam Patrum Societatis, quàm Christianorum quos erudiunt.

Neque omitti debet hoc loco postremum illud argumentum, quod à consensione mutuâ & concordiâ servandâ petitur in iis quæ inter Patrem Navarrettam & Societatis Viceprovincialem convenere, satis esse debere, ut exempla Patrum Societatis Jesu nobis sequenda proponamus, eorumque praxim imitemur, licet quoad theoriam aut contrarietas aliqua supersit, aut aliqua fortasse dubitatio.

Id

Id quod propoſui, verum ut crederem ac certò judicarem, fecit potiſſimum ea ſacrificii definitio, quam ex Divo Auguſtino deſumptam ni fallor Divus Thomas adducit, atque alii poſteà Doctores omnes admiſere. Et ſanè ſi minor eſſet in litteris Sinicis ſeu potius in vocibus ambiguitas, ſi minùs varii minùſque inſtabiles in reſpondendo Sinæ forent, faceret hæc una ratio ut quivis Theologiæ non ignarus indè non opinionem modò probabilem deduceret, ſed etiam judicium planè certum, eâ nimirum certitudine quam Theologicam vocant.

Atque id ut oſtendam, ſuppono primum illud intereſſe inter *ſignum naturale* & ſignum *ad placitum* ſeu *artificiale*, quod ſignum illud quod naturale dicitur deducit nos in cognitionem rei ſignificatæ independenter ab inſtitutione hominum: ita ut viſo eo ſigno ſtatim naſcatur in omnium animis cogitatio ſeu idea rei ſignificatæ; ut patet in fumo qui eſt Signum ignis. Signi verò quod artificiale eſt, ſignificatio prorſus eſt arbitrariâ, pendetque à voluntate illius penes quem eſt illud inſtituere ad hoc ut ſignificet illud ad quod ſignificandum aſſumitur. Unde fit ut eam vim habeat tantùm in iis locis & communitatibus, in quibus fuit *ſufficienter promulgatum & communiter receptum*. Atque ut exemplum adhibeam evidens ac manifeſtum, capite eſſe operto coram viro nobili, inter Sinas ſignum eſt honoris ac reverentiæ, ſecùs in Europa,

Suppono 2° diſtinctionem quam D. Thomas atque omnes Theologi ponunt inter re-

ligionem, pietatem, obſervantiam; pariterque inter harum virtutum objecta & actus. Apud Theologos loquor; quare fruſtrà immorarer diutiùs in iis omnibus explicandis. Id unum poſtulo ut ad ea advertatur animus; cùm enim agatur hìc de iis actionibus, quibus Sinæ reverentiam ſuam exhibent, neceſſe eſt unicuique virtuti tribuere quod ſuum eſt, ne pietatis filialis ac reverentiæ ſive obſervantiæ actus malè miſceamus cum actibus religionis; Quod qui facit, cùm de infidelibus res eſt, quod civile tantùm eſt ac politicum, miſcet cum eo quod eſt ſuperſtitioſum.

Suppono 3°. diſcrimen quod metaphyſici ponunt inter rationem formalem *qua* & rationem formalem *ſub quâ*; ſeu inter terminum *qui* & terminum *quo*. Hoc ſcilicet percepto facilius intelligetur quid Sinæ velint in ſuo *Ci* & quomodo illud adhibeant ſub utrâque illâ ratione formali, ſeu termino.

Hoc igitur præcipuè fundamento nixi Jeſuitæ probant *Ci* Sinenſe, quo nomine complectimur cæremonias ac munera quibus Sinæ progenitores mortuos aut magiſtrum ſuum *Con-fu-zu* venerantur, non eſſe verè ac propriè ſacrificium; Et cultum quo eos colunt, religioſum non eſſe, ſed tantummodò politicum.

Sacrificium eſt ſignum quo is cui offertur, ſupremus agnoſcitur Dominus, vitæ ac mortis arbiter, atque rerum univerſarum conditor. Cultus religioſus eſt actus quo, is cui exhibetur, aut Deus agnoſcitur, aut verè ac propriè

ſanctus. Atqui non agnoſcunt Sinæ per ſuum illud *Ci* Confucium ac progenitores ſuos ſupremos rerum omnium Dominos aut verè ſanctos. Ergo illud *Ci* neque ſacrificium eſt neque religioſus cultus : & conſequenter qui eo miniſterio fungitur *Sacerdos* verè & propriè non eſt ; neque locus in quo exhibetur, eſt *templum*, neque menſa ſupra quam fit, eſt *altare* ; neque imago, ante quam offertur *idolum* verè & propriè dici debet. Cæterum cum Jeſuitæ nihil horum dici *verè & propriè* poſſe deffendunt non fatentur tamen idcircò dici ſaltem aliquo modo poſſe. Sic enim loquuntur *in rigore*, ut aiunt, *ſcholaſtico*, adhibitis iiſdem verbis, quæ adhibenda eſſe cenſuit Sacra Congregatio in iis reſponſis quæ dedit ad quæſita Patris Joannis Baptiſtæ de Morales. *Suppoſito quod menſa illa non eſt verum & proprium altare, ſed quadam tabula* atque alibi voces eaſdem uſurpavit : non *autem in vero & proprio altari.* Hæc enim omnia nomina tribuuntur tantùm iis rebus quæ ad divinitatem atque ad veram ſanctitatem referuntur. Quod ſi quis Europæus ea quandoque adhibuit de illo *Ci* Sinenſi, cenſendus eſt id feciſſe vel ignoratione vocum aliarum, vel ex aliquâ ſimilitudine cum iis quæ in Europâ nominantur Templum, Altare, ſacrificium, Sacerdos, &c. Illud voluit Sacra Congregatio : illud idem Jeſuitæ deffendunt : Illud Pater Martinius ſpectavit in ſuis propoſitionibus : quod quidem fateor à me antè ignoratum fuiſſe, quàm huc venirem.

Atquè ut ad ſyllogiſmum noſtrum rever-

tamur, ſatis conſtat negari non poſſe majorem, ſeu propoſitionem primam, quâ ſcilicet continetur definitio ſacrificii, atque eſſentiale diſcrimen actus religioſi ab actibus aliarum virtutum. Neque minùs certa eſt altera propoſitio, ſaltem ſi intelligatur de *intentione explicitâ, directâ & formali.* Manifeſtum eſt enim neque litteratos, qui Confucio, neque filios qui progenitoribus illud *Ci* exhibent, ullâ ratione velle eos reponere in eorum numero quos appellant *Pu-ſa ſoe*, vel eorum quos *Xing-ſien*: neque eo cultu ipſis tribuere ſupremum rerum omnium dominium, quod ipſius *Xam-ti* proprium eſt; neque eos collocare ad dexteram aut lævam ejuſdem *Xam-ti*, quaſi ex eo loco ſibi ferre poſſint auxilium: Quod exiſtimant de Rege *Ven-Vam* & aliis quibuſdam antiquioribus, quos ſanctos arbitrantur.

Igitur in eo poſita eſt difficultas, nùm eo ipſo quod offerunt illud *Ci*, intelligantur hæc omnia quæ commemoravi ſuperiùs, *tacitè* ſaltem & *indirectè* velle, *practicè & indirectè* profiteri. Hanc eſſe eorum mentem deffendunt Jeſuitarum adverſarii. Negant Jeſuitæ, ſententiamque ſuam probant argumentis validiſſimis, *quibus nulla profectò evidentia in contrarium poteſt opponi.*

I. Primum argumentum deſumitur ex ipſâ ſigni arbitrarii naturâ, quæ in eo eſt, ut id unum ſignificet ad quod ſignificandum eſt inſtitutum; nullamque ſignificandi vim habeat aliam ab eâ quam recepit in primariâ ſui inſtitutione *ab habente poteſtatem inſtituendi*, *niſi*

quid mutatum fuerit ab habente consimilem potestatem, & fuerit hæc mutatio sufficienter promulgata, & recepta. Atqui ex quo illud *Ci* usitatum est in Sinis, nunquam institutum est ut significaret id de quo nunc agimus. Nam triplex *Ci* jam tùm à Regis *Xun* temporibus Sinæ distingunt. Primum offerunt suo *Xam-ti* quasi supremo rerum omnium Domino; alterum spiritibus inferioris ordinis, quasi verè sanctis eâ sanctitate quam sibi fingunt; Tertium progenitoribus suis, quasi vitæ authoribus. Hanc triplicem rationem formalem *qua*, videre est in libro quem appellant *Xu-Kim*, neque apparet ex quo triplex illud *Ci* fuit institutum, novum aliquid constitutum fuisse, quo cæremoniarum harum essentiales differentiæ rationesque formales confunderentur. Ergo illud *Ci* absolutè atquè in se spectatum non est signum quo agnoscatur supremum rerum omnium Dominium in eo cui offertur; Ergo illud *Ci* quo Confucius & progenitores coluntur cultus religiosus censeri non debet.

Confirmari potest hoc totum 1°. ex eâ ratione quâ se & litterati in *Ci* Confuciano & posteri in *Ci* progenitorum gerunt. Nihil enim aliud quàm alteri doctrinam optimam Confucio, vitam atque institutionem progenitoribus debere se profitentur. Confucium ergo magistrum agnoscunt, progenitores verò parentes atque authores vitæ, & sub eâ solâ ratione formali venerantur: hoc volunt suo illo *Ci*, ac prætereà nihil significant, nihil testantur, nihil profitentur.

2°. Signum institutum ad rem aliquam significandam, eandem simul & ab re quâlibet aliâ distinguit. Tritum est enim illud apud Philosophos res per essentiam suam ab aliis rebus discerni, sive idem esse & constitutivum cujuscumque rei & distinctivum. Atqui valdè differunt apud Sinas idolum & quod idolum non est : cultus merè civilis ac politicus, & religiosus cultus; saltem ex quo idololatricæ sectæ in Sinas invectæ & propagatæ fuerunt, neque est quisquam apud Sinas tàm rudis tàmque ignarus rerum omnium, qui non egregiè calleat quibusnam rebus tribui debeat appellatio *Pu-sa foe* vel *Xing-Siem*, quibus non debeat. Sed hoc discrimen ut servent, non facit ipsum *Ci*, ità ut *Pu-sa* habeatur ille cui offertur; non habeatur ille cui non offertur; ergo ipsum *Ci* inse & præcisè ut *Ci* non facit ut habeatur inter Idola is cui tribuitur.

Tertiò. Atque hoc evidentiùs apparet ex eo idololatrarum usu de quo dicere omiseram in eo testimonio, quod in Europam anno proximè elapso misi. Cum enim *Ci* faciunt alicui defuncto simul advocant Bonzios sive *Tao-sus* qui defuncti animam eximant ab inferis. Non volunt ergò cùm cui offerunt illud *Ci* esse jam in cœlo, vel evasisse *foe* aut *Xim-siem*.

Quarto. Illud idem manifestè probatur ex eâ appellatione quam Sinæ tribuunt suo *Ci*, cum religiosum cultum esse volunt. Tum enim appellant *Kî sú* vel *Ki-Ci* id est munus quo oblato aliquid postulatur. Itaque illud non habet omne *Ci* formaliter ut *Ci* ut aliquid

poſtuletur : ac proindè non eſt omne *Ci* præciſè poſtulationis ſignum , atque id concedi poteſt ad ſummum , poſtulationem eſſe circumſtantiam accidentalem ipſius *Ci* , vel certè partem ſubjectivam & ſpeciem ſub eo genere contentam. Sed qui indè velit effici omne *Ci* religioſum eſſe cultum , tam abſurdè facit quàm qui ex eo quòd homo ſit animal rationis particeps conſequi velit , ad omne animal rationis uſum pertinere.

Quintò. Signi proprium eſt , ut ad ſui poſitionem rem ſignificatam omnium ſpectantium animis ingerat. Atqui ipſum *Ci* non infert animo cogitationem divinitatis aut ſanctitatis. Qui enim inter Sinas videt ab aliquo fieri *Ci* alicui defuncto , non continuò putat divinitatem ſanctitatemque ipſi tribui aut ſimilem eum idolis *Foe* aut *Xim-ſien* putari ; non exiſtimat continuo aliquid ab eo poſtulari : ſed id ſcilicet unum exiſtimat eum qui has cæremonias uſurpat ſecundùm morem patriæ defungi eo ritu , quo gratum parenti animum amoremque teſtetur : atque indè eſt quod hunc virum appellant *hiao* quo uno ſatis oſtenditur nihil eos ampliùs facere cùm ſuum *Ci* defunctis exhibent , nihil aliud velle aut profiteri.

Sextò. Quod quidem clariùs patebit , ex iis quæ fiunt cum Imperator facit *yu-ci* in honorem alicujus defuncti , cujus inſignia ſint in ipſum officia ac bona merita quanquàm enim id Sinis vulgò perſuaſum eſt penes Imperatorem eſſe ut defunctum inter idola reponat, non ideò tamen exiſtimant eo ipſo quo Imperator

offert *Ju-ci* alicui defuncto, velle eum inter idola coli atque haberi. Id adeò jam posueram additione his postremis diebus factâ ad eam testificationem quam propriâ manu signatam in Europam misi, quam additionem consulat qui plura eâ de re volet.

Denique si excutiantur omnes relationes ac proprietates signi à Logicis & metaphysicis excogitatæ inveniemus profectò nihil esse vel in *Ci* sumpto generatim ut sic & in communi vel in *Ci* proprio mortuorum, quo possit ad significationem religiosi cultûs determinari.

II. Syllogismi supra positi majorem propositionem probant præterea Patres Societatis ex politiæ Sinicæ naturâ. Eam enim Sinæ, ut habetur in libro *Ye-Kim* ad imitationem cœli ac terræ efformatam esse voluerunt, atque ad motus, influxus, partiumque omnium inter se diversitatem ac subordinationem referri. Hinc nimirùm factum est ut triplicem in Imperio constituerint Ordinem, Imperatoris qui nulli subsit; præsit omnibus; Mandarinorum qui ita populo præsint ut Imperatori subsint, deniquè privatorum hominum ac purè subditorum. Deinde triplex pariter *Ci* distingunt. Primum quòd *Xam-ti* supremo rerum omnium Domino Imperator tanquam supremus quoque Dominus offert: alterum quod geniis montium ac fluminum offerunt Mandarini tanquam & ipsi superni Imperatoris administri: tertium quod privatus quisque progenitorum suorum memoriæ consecrat. Atqui si privati homines supremum dominium ei omni tribuerent, cui *Ci* suum offerunt, facerent

facerent evidenter contrà voluntatem eorum qui primi cæremoniæ illius authores fuere, politiæ Sinicæ naturam everterent, ſubſtitutâ republicâ, in quâ imperarent plurimi, nulli intra merè ſubditorum ordinem conſiſterent.

III. Sententiam ſuam ac propoſitionem Jeſuitæ probant ex principiis illius ſectæ quam litterati atque adeò Reges & totius Imperii Mandarini profitentur, ſibique à majoribus ſuis & regni conditoribus traditam eſſe certum habent. Nam illi & in cæremoniis *Ci* poſtulari quidquam non probant, aut alteri cuipiam quam ſoli *Xam-ti* ſupremum dominium Imperiumque tribui, & tamen filios volunt iiſdem cæremoniis *Ci* ritè perfungi, quibus ſcilicet ſuam ergà parentes defunctos obſervantiam conteſtentur, idque & ipſi *Xam-ti* gratiſſimum eſſe, & rationis lumini maximè conſentaneum doceant. Quare fieri omninò non poteſt ut omne *Ci* poſtulationem aliquam ipſorum judicio complectatur; niſi eorum magiſter Confucius fœdè ipſe ſibi pugnare dicatur & contradicere. Atqui Sinæ, apud quos ea litteratorum ſecta jam tot à ſæculis viget, animadvertiſſent profectò pro ſuâ ingenii ſagacitate, contradictionem illam, neque Confucium ejuſque doctrinam tanti feciſſent, neque ejus exiſtimationem, in dies augeri & novis laudum acceſſionibus creſcere paterentur. Itaque non eſt apud eos illud *Ci* cultus religioſi ſignum ac profeſſio.

IV. Probatur illud idem authoritate li-

brorum *Kia-Li* & *Li-Ki* atque aliorum qui apud eandem ſectam habentur & de cæremoniis agunt, præſcribuntque ritum & illius *Ci* quod Confucio, & illius quod mortuis adhibetur. Comparatur enim utrumque cum iis epulis quibus honoris causâ viri nobiles excipiuntur, quorum ſcilicet ritus atque ordo libris iiſdem præſcribitur. Et verò ſi quid unquàm hìc fuit immutatum circà dapes in iis epulis apponi ſolitas, immutatum etiam fuit in iis quæ in ipſo *Ci* apponuntur.

V. Deinde omnes libri qui de ritibus ac de ipſo *Ci* agunt, ſive quod Confucio, ſive quod progenitoribus offertur, eo fine jubent offerri, ut his pro acceptâ vitâ, atque inſtitutione, illi pro egregiis doctrinæ traditæ monumentis grates cum aliquâ honoris ſignificatione perſolvantur. Suum enim *Ci* vocant *hiao* aut *Pao-puen*, nihil verò uſpiam extat quod exhibendo religioſo cultui affine ſit. Conſtat igitur litteratos atque omnes proinde Sinas in exhibendo *Ci* nullatenùs de religione cogitare.

VI. Quin & argumentum Patres Societatis ex eo deducere poſſunt quod apud hujus ætatis litteratos multùm graſſetur atheiſmus. Atheos enim neque Confucio ſuo magiſtro neque progenitoribus cultum ullum religioſum exhibere patet. Longè illi abſunt ab eo ut credant ſpiritus vel ſumere quidpiam ex appoſitis cibis, vel adeſſe illis tabellis quibus defuncti nomen inſcriptum eſt. Longè abſunt ab eo toto fabularum inſanarum genere, quod Bonzii qui *Tao-ſus* dicuntur induxerunt, ut

vulgus rude atque imperitum errori manciparent, & quo cæremonias eas infecerunt quibus mortuorum Ci continetur. Quæ enim esse potest consensio superstitionum harum cum atheorum errore, quo religio prorsus omnis aboletur? Itaque eas improbant & quantùm possunt damnant ac prohibent suis in libris & scholis ut rationi suoque *Jû-Kiao* planè contrarias. Illud verò Ci de quo nunc agimus nullatenùs improbant, nequè in antiquum ac legitimum illius tabellæ, de quâ dixi superiùs, usum invehuntur. Cùm enim esset olim in more positum ut adhiberetur infans cui ut vivæ imagini in defuncti locum substituto Ci offerretur, recentiores pro imagine defuncti tabellam nunc adhibent quæ sit ipsius defuncti loco; & quam parentibus si viverent etiamnum, exhiberent reverentiam, eamdem exhibent illi tabellæ non eo modò tempore quo ille ritus absolvitur, sed etiam alio quovis: longè quippe facilius est tabellam præsentem habere cùm lubet, quàm infantem. Atqui athei qui sunt inter Sinas, morem hunc non accusant, sed & laudant, & ipsi sequuntur, quanquam atheismum suum sibi laudi ducunt. Igitur non existimant vel ipsum Ci vel illius tabellæ usum atque honorem ipsi habitum, ad religionem pertinere, sed tantùm ad gratum animum sive filii erga parentem, sive discipuli erga magistrum hoc est ad cultum merè politicum ac civilem.

Jam eo posito quod Theologia docet, nimirùm actionis alicujus bonitatem ac malitiam

moralem peti primùm ac potissimum debere à fine atque intentione agentium, hanc intentionem suam cùm soli agentes docere nos possint, debemus sanè iis dicentibus credere, neque possumus, aiunt Patres Societatis, contrarium absque temeritate aut erroris periculo judicare. *Semper enim unusquisque præsumendus est bonus, donec appareat malus.* Itaque si Doctores & litterati Sinæ tam antiquis Missionariis quàm recentioribus dixere, quod eos dixisse constat, has voces *Xin-co & Xin-quey* quas tùm usurpant cùm orationem ad has tabellas dirigunt per metaphoram usurpatas intelligi debere, non video cur iis non habeatur fides; Nam & in re qualibet stari debet non rudiorum sed peritissimorum virorum existimationi ac judicio, & planè ridiculus censeretur, qui cùm ad aliquod collegium se contulisset, ut exponeret conscientiæ casum aliquem, non consuleret tamen eos quos constaret esse peritissimos harum rerum, vel ita consuleret, ut nollet respondentibus credere, iisque neglectis ac spretis ostiarium aut coquum adiret. Sed nimirùm hæc spectant ad probabilitatem quam extrinsecam vocant, quare his interim supersedeo.

VII. Denique sententiam suam Societatis Jesu Patres librorum apud Sinas authenticorum textibus atque interpretum animadversionibus adductis facile probant. Quæ omnia hîc omitto recensere, cùm nostri ex ordine sancti Dominici Patres ea sint habituri collecta in libris quos super eâ re Societatis

Patres ediderunt, quosque utpotè in ipsorum gratiam præcipuè scriptos ad ipsos proculdubio mittent. Verùm ut jam ad propositum meum revertar, cum vim eorum argumentorum pondusque perpendo & cum sententiæ contrariæ principiis confero, quæ quantùm possum intelligere, solo *materiali* cæremoniarum de quibus agitur, sive externâ actione nititur, & admixtione superstitionum aliquarum, quæ inductæ sunt ab Idololatris, suntque ex earum numero, quas intellexit sacra Congregatio, cùm ait *sublatis superstitiosis*; tum equidem sic existimo, neque dubito quin idem sit existimaturus quicumque nullam opinionem præjudicatam admittet, & sincero veritatis cognoscendæ studio vehementiorem quemdam zelum priùs temperabit, quàm ad hanc faciendam comparationem accedet: sic inquam existimo sententiam Patrum Societatis esse longè probabiliorem oppositâ quia fundatur, ut cum Theologis loquar, in *formali* hoc est in specificativo & distinctivo actionum humanarum cùmècontrà adversariorum sententia non fundetur nisi in materiali, accidentali & accessorio, quodque nullatenùs pertineat ad quidditatem & essentiam, nullatenus sit distinctivum & specificativum.

Ubi notandum illud est, scilicet de rebus atque iis præcipuè, quæ ab animis hominum atque abditis cogitationibus pendent, existimari potius debere ex dictamine rationis quâm ex oculorum auriumve judicio. Placet id exemplum assumere quod Thomistis no-

ſtris valdè placiturum eſſe certò ſcio. Schola noſtra vult dari reſolutionem uſque ad materiam primam in generatione & corruptione. Hoc ipſum Scotiſtæ pernegant, afferuntque ſpecies ſenſibiles & quantitatem corporis vivi & cadaveris, quas utrobique aiunt eaſdem eſſe, quia ad oculum eſſe eædem videntur. Sed nimirùm reſpondemus unitatem & diſtinctionem numericam eſſe ejuſmodi, ut de iis non debeat *ad oculum* judicari, ſed referri ad mentem atque animum, cujus eſt de iis exiſtimare. Id ipſum nunc agitur. Scotiſtæ perſonam ſuſcipit ille divinæ gloriæ vindex atque æmulator præfervidus, cum ait; hos atque hos Sinæ in ſuo *Ci* ritus uſurpant, qui *ad oculum* iidem prorſus videntur eſſe atque illi quos apud alias gentes adhibent idololatræ: Et Thomiſtas ſe gerunt Societatis Patres, cum reſpondent moralitatem actionum humanarum eſſe ejuſmodi, ut de ea non debeat ad *oculum* judicari, ſed referri ad mentem atque animum, cujus eſt de ea exiſtimare. Statuat quilibet Thomiſta prudens, utrius partis argumentum ad rationem veram cenſeat eſſe propenſius.

Erit fortaſſe qui objiciat inferendo judicio de bonitate aut malitiâ actionum humanarum attendi ſolere ad earum circumſtantias; circumſtantias autem in eo *Ci* Confuciano & defunctorum manifeſtè ſuperſtitioſas eſſe, neque aliter poſſe exiſtimari; quippe in Confuciano pecudem mactari, invitari atque advocari ſpiritum, ut adſit; effundi vinum, ipſi offerri ſanguinem ac pecudis pilos, po-

ſteáque infodi ; verbis ampliſſimis ejus virtutem & laudes prædicari, cœlo ac terræ comparari, omnium quæ geruntur rationem huic tabellæ reddi, vocari eam ſedem ſpiritus &c. alia etiam ad pompam ac magnificentiam adjungi, probari vino pecudem in *Ci* Confuciano mactandam ; certum præſcriptum eſſe tabellæ modum certamque formam, & alia generis ejuſdem permulta, quæ recenſere ſit infinitum. Atqui, dicet aliquis, omnes hæ cæremoniæ ſi non ſunt prorſus idololatricæ, certè habent eam ſuperſtitionem quæ *vana obſervantia* dicitur, ac proinde *Ci* Confucianum & mortuorum cultus merè civilis non eſt ; ſed ab ingenio proficiſcitur vel idololatrico vel ſuperſtitioſo, ac proinde nihil probant omnia quæ in contrarium afferuntur.

Antequàm huic objectioni reſpondeam, probemque, quod hic unum mihi ſatis eſt, ſententiam Patrum Societatis Jesu eſſe intrinſecè probabiliorem oppoſitâ, operæ pretium eſt hic monere circumſtantias has omnes atque alias de quibus ſæpè P. Joannem Baptiſtam de Morales, P. Ant. de S. Maria, & quoſdam alios Ordinis mei Miſſionarios antiquiores loquentes audivi, Patribus Societatis ignotas minimè fuiſſe ; imò alias ab iis accepi, de quibus nihil inaudieram priùs quàm in hac domo verſarer. Sed iidem affirmant iſtas circumſtantias vel à ſe vel à ſuis deceſſoribus perpenſas atque ad judicium revocatas fuiſſe : quibus id affirmantibus negare fidem non videor mihi niſi contra jus ac meritum poſſe : ii ſunt enim quorum mihi ſpe-

ctata virtus est ac probitas, & quinque sexve annorum familiari consuetudine comprobata.

Duo itaque cæremoniarum genera Jesuitæ distingunt in ipso *Ci*: alterum genus quod à Bonziis sive *Tao-sus* additum atque assutum; alterum desumptum ex libro *Jû-Kiao*; & illas quidem superstitiosas fatentur esse: sed quoniam idololatræ nullam in administrando Imperio partem habent, Patribus Societatis non videtur fieri posse, ut illæ consuetudines quæ apud solos idolorum cultores obtinent, saltem extrâ ipsorum sectam, vim ullam habeant vel illius immutandi quod est jam ab initio constitutum, scilicet *ab habentibus potestatem*; vel derivandæ malitiæ in ipsum *Ci* præcisè spectatum, quod in eo positum est, ut mortuis quasi vivis ac præsentibus, cibi atque alia id genus offerantur in observantiæ ac grati animi signum.

Sed neque ipsi idolorum cultores intra suam sectam hoc voluere. Nam ita Sinicis antiquis cæremoniis sua superstitiosa per accidens addidere, ut non prohiberent tamen quominus ipsum *Ci* foret atque haberetur signum illius pietatis ac reverentiæ, quâ parentes mortuos filii prosequuntur. Nihil erit igitur reprehendendum si tollantur modò superstitiosa, quemadmodum sacra Congregatio jubet. Nam cæremonias quidem in libro *Ju-Kiao* præscriptas facile est ab omni superstitionis suspicione liberare, cùm eâ intentione fiant, quæ civilis est ac politica, quæ procul abest à superstitione, quæ demùm eas vindicat huic virtuti

tuti quam scholastici pietatem filialem seu observantiam appellant, quia scilicet habent prorsus rationem eandem formalem *sub quâ*. Itaque licet nobis eæ res vanæ esse videantur alio sub cælo natis & saniora ac meliora edoctis, non est tamen cur illas damnemus quasi pertineant ad eam superstitionis speciem quæ *vana observantia* dicitur, quæ appellatio ex D. Thoma atque aliis Theologis non convenit nisi *actibus vanis per excessum in verâ religione aut vanis in falsâ religione*.

Ergò cùm certum sit, aiunt Patres Societatis, constetque & rationibus suprà memoratis & diligenti perquisitione sæpius factâ, nunquàm litteratos Sinas seu veteres seu novos Confucio & mortuis cultum religiosum tribuere voluisse, consequens est cæremonias illas à nobis tolerari posse, quamlibet futiles nobis ac vanæ videantur. Ita suæ sunt cuilibet genti consuetudines quæ vanæ propriè dici non debent si fuerint usu continuo probatæ atque ab omni retro memoriâ repetitæ. Exemplum habemus in eâ consuetudine quæ propria Sinensium est, ut si quem excipiunt domi, priùs extremâ suæ manicæ orâ sedile illud abstergant, quo illum volunt considere, quæ sanè consuetudo non minus vana mihi semper est visa, quàm eæ cæremoniæ quas ad suum *Ci* solent adhibere: sed eam tamen accusavit nemo, quia nimirùm *est extrà lineam religionis* sive ad religionem non pertinet.

Nihilominus ut tutiora essent omnia, liberique ab omni metu & formidine animi forent, interdictum fuit Christianis ne adess-

sent illi Ci quod bis per annos singulos Confucio solet exhiberi, quia scilicet huic adesse nulla lex jubet: Et Pater Societatis Jesu Vice-Provincialis Præpositus eâ transactione quæ inter ipsum & Patrem Navarrettam facta fuit, recepit se interdicturum prorsus ad eum modum qui habetur in eâdem transactione, quam, qui volet plura, consulat. Sed ne quis existimet eo sic interdictum esse, quasi sit superstitiosum, Patres Societatis eas rationes scriptis mandavere, quibus efficitur illud abesse ab omni superstitione; & librorum Sinensium testimonio, virorumque peritorum ac fide dignorum autoritate & responsionibus datis post diligentem positam in eâ unâ quæstione pernoscendâ curam, ostenderunt quis foret super eâ re litteratorum Sinensium animus atque intentio, & quantum ad ea omnia statuenda rationes politicæ contulerint.

Ea quibus Societatis Jesu Patres ducuntur argumenta, deprompta sunt potissimùm ex eo libro quem vocant *Li Ki*. Pater Navaretta Præpositus noster cum eâ de re legisset Patris Bramati librum, *atqui* inquit, *viam ille commonstravit mihi, doleoque vehementer quòd ea non didiscerim ac cognoverim priùs*, ac perlectis ipsius *Li-Ki* tractatibus post ea percepta rudimenta quæ ex Patris Bramati libro hauserat, ultrò ac motu proprio Patrem Vice-Provincialem adiit, habuitque eam de quâ dixi transactionem.

Sed & illud à fratribus meis Dominicanis diligenter adverti debet, sacram Congregationem liberum tabellarum usum reliquisse,

modo mensa non foret *verum ac proprium altare*, Quanquam P. Joannes Baptista de Morales exposuisset infideles sacra his tabellis facere, easque vocare *sedes animarum*. Quid igitur si certò jam compertum fuisset mensam hanc verum altare non esse; aulam non esse templum; ipsum *Ci* non esse sacrificium; illam laudum prædicationem haberi prorsus hyperbolicam ac plenam ostentationis, non veritatis; tabellas sive inscriptiones eo esse loco quo esset imago defuncti; sedes animæ non appellari nisi fictitiè, nisi per metaphoram ac repræsentationem; quòd verò coram illis eorum omnium quæ geruntur ratio reddatur id ita haberi atque accipi, quasi filii parentibus etiam defunctis eadem prorsus exhibeant officia quæ vivis exhiberent.

Jam ut objectioni allatæ satisfaciam, negari non potest attendendas esse circumstantias actionum humanarum; sed profectò inter alias longè præcipua est & cæterarum caput ac veluti forma, ea quæ agendi motivo & fine continetur. Quâ omissâ, si res in se tantummodò spectentur, actio prorsus indifferens erit, hoc est neque bona neque mala. Verbi gratiâ pecudum mactatio inter ipsius *Ci* cœremonias vel maximè reprehenditur: Quam tamen, si præcisè atquè in se spectetur, quis audeat idololatriæ condemnare nisi qui laniarios omnes dicere velit idololatras? Ulterius igitur oportet inquiri finem illi mactationi propositum. Qui finis si honestus sit, honestam pariter actionem esse necesse est: Contrà si finis inhonestus, si ut is cui mactatæ pecudes

offeruntur, supremus agnoscatur Dominus & vitæ necisque arbiter, consummatio est idololatriæ. Verum si is qui offert, hoc solum vult ostendere, daturum se libenter alteri has pecudes in escam si etiam nunc viveret, quis est tandem Theologus qui actionem hanc dicat idololatriæ affinem?

Hoc idem potest dici de sanguine animalis ac pilis qui offeruntur, quæ actio si spectetur in se, sanè neque bona est neque mala; sed ex solâ agentis intentione judicabitur an vana aut etiam superstitiosa sit. Atqui ego scriptum quoddam Sinicum quo *Ci* confucianum describitur, quodque ni fallor Ritualis cujuspiam fragmentum fuit, linguâ Hispanicâ donare à Patre Navarretta jussus, in eo sic reperi, pilos ideò offerri ut animal significetur esse integrum, *Y-Cáo-civen*, sanguinem verò, ut idem animal hac solâ de causâ mactatum intelligatur, non morbo confectum, non allatum è macello, *Y-Caò-xà*. Atque hæc duo velim adverti diligenter, tum responderi, quidnam tandem esset mali, si quis amico ad cænam invitato pridie scilicet mactari juberet animal quod ipsi apponi vellet in cibum, atque ad ipsum animalis pilos ac sanguinem mitteret, his quas attulimus aut aliis ejusmodi rationibus ductus. Quæ pariter & de aliis ipsius *Ci* circumstantiis dicta possunt intelligi.

Quare Patres Societatis post diligentem curam in eâ re discutiendâ positam, cùm id comperissent nullum alium illi nisi politicum finem inesse, politicas pariter actiones, poli-

ticum & civilem cultum esse judicarunt ; quia tamen etiam post Inquisitionem diligentissimam mortalibus errare pronum est ac labi, suam praxim non in certitudine Theologicâ, sed tantùm *in opinione valdè probiabli fundatam* esse dixerunt.

Alterum illud objici potest, nimirùm litteratos Sinas, recentiores atque horum posteriorum temporum, quanquàm animis atheismo infectis, solere tamen interdum externas idololatrarum actiones imitari, sibique ita persuadere quemadmodum à Patre Matthæo Riccio fuit annotatum, posse se ita ad idololatrarum mores accedere, ut à suis institutis non discedant. Deinde perspicimus facilè hos litteratos nullam prorsùs religionem sequi, nihilque nisi ex simulatione & hypocrisi facere. Unde fit credibile eos externam idololatriæ speciem non minus in Confucii ac progenitorum cultu servare, quàm in eo cultu quem idolis exhibent ad ea templa quæ *Miao* nuncupantur.

Respondeo tunc eos esse idololatras, cùm externo cultu idola venerantur, quia tum falsæ religionis cultum simulant atque imitantur ; Contrà vero in Confucii ac progenitorum cultu videri facere id quod ad alterutram virtutem moralem pertinet, nimirum *reverentiam* aut *pietatem filialem*. Scilicet in colendis idolis id se facere simulant quod nullatenùs licet, quodque ipsorum libri ac scholæ improbant, tanquàm repugnans atheismo, cujus professione gloriantur. Contrà in *Ci* Confuciano & mortuorum quod se facere simu-

lant, si tamen simulant & non ex animo faciunt, non repugnat ipsorum officio, ac tanquam rationi valdè consentaneum, in ipsorum libris scholisque commendatur.

Atque hoc necesse est observari ab eo qui nolit has tres virtutes de quibus egimus, atque iis opposita vitia confundere, quemadmodum athei tres sectas contra magistri sui veterumque Doctorum sententiam confuderunt. Id facile perspectum habebit quisquis fuerit etiam mediocriter lectione Sinicorum librorum imbutus, quod cui non contigerit, is errorum non levium periculum incurret, continget enim sæpè ut etiam inter administrandum pœnitentiæ sacramentum idololatriam interpretetur eum actum, qui ne ad simplicem quidem hypocrisim pertinebit.

Potest objici 3°. Dæmonis fraus ac malitia, qui semper adorari voluit tanquam Deus, idque apud gentes omnes eodem prorsus modo consequi studuit: porrò id consecutum esse per sacrificia: vehementer igitur esse pertimescendum ne idem sit autor cæremoniarum ipsius *Ci* nevè eæ veram idololatriam habeant velo pietatis obductam; quo faciliùs vel in errorem inducantur Sinæ vel etiam in eo detineantur.

Respondeo formidinem omnem aut suspicionem de sententiæ suæ falsitate non obstare quominùs eadem sit probabilior. Et verò quamlibet probabilis sit aliqua sententia, numquam tamen abest levìs aliqua suspicio & formido partis oppositæ, nisi adsit certitudo atque evidentia. Jam in praxi quid se-

quendum esset egregiè docuit D.Paulus his verbis: *omnia probate, quod bonum est tenete*, atque inde est quod nos Missionarii sive antiqui sive recentiores hactenùs tam multa probavimus, ac tentavimus, tam multa sumus experti.

Idololatriam quidem Dæmonis fraude in hoc regnum invectam gementes cernimus: verùm nulla invecta fuit animalium in honorem Idolorum mactatio. Bonzii enim qui sunt Dæmonis in idololatriâ stabiliendâ administri, suis diligenter mandant, ne ullum unquam animal mactent, ullam victimam cædant. Atque in posterum nefandum hunc errorem satis cavebunt Christiani, si fuerint diligentes in iis servandis quæ tum à sacrâ Congregatione tum à Vicario Christi præscripta sunt. Et spes est aliquando fore, ut Christianorum exemplo infideles adducti, è cultu politico ac civili defunctorum eximant illud quod Dæmonis atque ipsius ministrorum fraude sensim inductum est, ac suum *Ci* pristinæ suæ ac primævæ formæ ac puritati reddant.

Quod si quis de Sacræ Congregationis intentione dubitet, quasi non sufficienter edocta fuerit, aut etiam falsò informata de his quæ in Sinâ geruntur, habeat sibi narrationem quam subjungo, idoneam sanè ad eum scrupulum eximendum, si modò sit bona fides & solius veritatis percipiendæ studium.

Cum primùm ad hanc (Cantoniensem) domum accessi atque etiam jam tum cùm essem Pekini, cumque eò tenderem, haberemque viæ comitem Patrem Ignatium de Acosta, qui Patrum Societatis in Sinâ Vice-Provin-

cialis fuerat, quique jam ex hac vitâ discessit ad perennem gloriam, sæpe mihi contigit ut dubitationem hanc meam dubitandique momenta in familiari colloquio proponerem, quod & rursùs hic publicè feci in congressu Missionariorum ex tribus Ordinibus omnium, qui hîc adfuerunt. P. Antonius de Sanctâ Mariâ hoc me sermonis argumentum posuisse lætatus est, & quanquam id grave Patribus Societatis accideret, neque sanè immeritò, fecerunt tamen & pro suâ modestiâ, ut dissimularent dolorem, & pro suâ charitate ut propositionem hanc seu libertati meæ, seu nimiæ simplicitati condonarent. Jam ad hanc dubitationem meam sic respondent, eum qui Romanæ curiæ rationes atque instituta noverit, suspicari non posse Sacram Congregationem responsa dedisse planè contraria responsis iis quæ prius ad quæsita Patris Joannis Baptistæ de Morales dederat, dedisse inquam sine ullâ investigatione & cæco prorsus modo post lecta tantummodò ea verba quæ ipsis responsis à Sacra Congregatione datis tanquàm à Patre Martinio profecta instar tituli præfiguntur.

Igitur Martinium hinc ita Romam discessisse, ut tractatus amplissimos secum haberet atque ingens volumen quo mores omnes & consuetudines Sinensium fide ac simplicitate prorsus religiosâ proponebantur, quantùm innotescere potuerant longo eo usu temporis, quod Patres Societatis in hoc excolendo regno posuerant: tùm eos tractatus tradidisse tribus Qualificatoribus, ut patet ex cartâ quâdam, quæ in secretariatus archivio serva-

tur

tur Patris Martinii manu exaratâ & consignatâ. Quin & me docuit Pater Intorcetta qui ejus tunc Romæ socius erat, cùm ad Cardinales & Consultores se conferret, ut ageret de his controversiis, quique nunc Romam hinc redit Missionis hujus procurator; ingens illud volumen de quo dixi venerabili cuidam ex nostro sancti Dominici Ordine seni fuisse traditum, ni fallor, Reverendo Patri Candido, Sacri Palatii tunc Magistro sanctæ memoriæ viro, qui illud ad tres menses detinuerit. Pater Martinius tractatus hos atque informationes amplas summâ fide in aliquod compendium redegit, quod Eminentissimis Cardinalibus exhiberetur: redegit autem idcircò quòd tres Qualificatores, qui eos tractatus legerunt, sibi habebat adversantes. Re transactâ ac compositâ secretarius ex hoc P. Martinii compendio etiamnum fusiori, pauca illa quæ habemus verba selegit, unde quæ inserta sunt in sacræ Congregationis responsis sunt *compendium compendii* sive ex P. Martinii compendio excerpta sunt à secretario Congregationis ipsius. Ibi habetur *Sinas superstitiosa quædam admiscere in colendis defunctis*, quâ de re consuli poterat ingens volumen illud, quo hæc omnia fusiùs explicabuntur. Illud verò quod secretarii fuit, non P. Martinii, *Sinas nullam defunctis divinitatem tribuere, nihil quidquam ab iis petere, nihil sperare*; Jesuitæ respondent quod & ego in conventu Lan-Kiensi respondi priusquam ullum ex Societatis Patribus vidissem, propositionem hanc indefinitam esse non universalem, veram quippe esse de vulgo

Sinensium, deque moribus gentis propriis, quanquam advertatur contrarium in aliquibus, qui eâ quidem in re à patriis ritibus ad exteros deflexêre.

Similium propositionum exempla passim occurrunt in S. Scripturâ & Patribus. Ita quippe dicitur hebræos unum Deum adorasse, quod certè falsum dici non potest quanquam inter hebræos aliqui fuerint idolis colendis addicti. Ita dici potest Sinensibus, apud Europæos dæmonem non adorari, sed horrori esse, quamvis constet inter Christianos esse etiam magos & sortilegos qui dæmonem colant. Ita denique pronunciare licet Anglos hæreticos esse, Turcas Mahometanos, Japones Idololatras, quanquam & inter Anglos aliqui sint Catholici, & inter Turcas, Japonesque Christiani.

Nec satis video quid possit his exemplis opponi. Quanquam & Jesuitas ego monui, expedire ut eâ de re Sacra Congregatio certior fiat ad majorem cautelam, & ne quid unquam scrupuli supersit. Itaque auditis eorum responsis de ipsorum tractatibus atque ingenti volumine Romam missis, mihi quidem cui satis perspecta est ipsorum virtus, ac divinæ gloriæ propagandæ studium, nullus restat de Sacræ Congregationis intentione dubitandi locus, neque esse jam potest iis qui bonâ fide ac bono zelo ducti illud idem dubitarent quod olim dubitavi.

Objici denique possunt quædam loca librorum authenticorum & commentariorum Sinensium, qubus probetur ipsum *Ci* cultum

esse religiosum quo aliquid à defunctis speretur postuleturque, neque id refundi posse in aliquos ritus quos Sinenses ab idololatris hauserint. Multos super eâ re textus collegêre Antonius de Sanctâ Maria & Pater Navaretta; respondent Patres Jesuitæ suis in tractatibus atque ad eum modum respondent quo ii textus litteratis Sinensibus quos sciebant esse viros probos ac fide dignos propositi, ab iisdem explicati sunt. Sed quia dubitabit fortasse quispiam nùm ea explicatio contraria sit explicationi litteratorum aliorum, quos consuluerint ii qui hos textus adducunt, essent litterati ipsi cum litteratis conferendi, atque ad probabilitatem quam vocant extrinsecam rediretur, quod jam non agimus. Quare iis textibus omissis, notas quasdam adjicio quibus responderi facile poterit iis argumentis quæ ex suprà dictis textibus deducuntur, aut deduci possent.

Primum. Non id volunt Patres Societatis omne *Ci* cultu merè civili ac politico contineri, nullumve esse, cui accedat aliqua postulatio. Nam & ipsi Atheos quosdam, qui hoc persuadere nituntur, confutandos sibi sumpserunt, atque ex receptis apud Sinas principiis deducunt illud *Ci* quod offertur supremo rerum omnium Domino *Xam-ti*, & Geniis ac regibus quibusdam quos ut sanctos olim Sinæ coluere, verè cultum esse religiosum ac sacrum.

2° Confucii defunctorum-ve cultum religiosum esse non inde probatur, quòd aliquis inter Sinas in progenitoribus defunctis colen-

dis eam spem habeat fore aliquando ut quidpiam consequatur boni vel à Cœlo, vel ab Idolo, vel à suo *fum-xiu*. Ita enim & Christiani sperant se consecuturos à Deo mercedem illius reverentiæ quam exhibent parentibus juxtà illud effatum scripturæ *honora Patrem & matrem ut Sis longævus super terram*. Atque ad hunc ferè modum Confucius dixisse fertur eum qui diligens esset in *Xam-ti* ac parentibus colendis bona omnia præ manibus seu ut loquitur, in volâ manus habere: dixit idem alibi, *ritu Ci defunctus sum: unde & bona recepi plurima*. Quod dictum, eò referri fortasse potest, quanquam ad alium sensum detorqueant Athei in libro *Li Ki*, quorum interpretationi credere necesse est, quia scilicet alii desunt interpretes. Verùm ut efficeretur defunctorum cultum religiosum esse non merè politicum, oporteret præterea ut aliquid ab ipso defuncto, cui offertur *Ci* postularetur, ut spes in eo reponeretur aliqua, ut hæc esset de illo existimatio, posse eum vel concedere bona quæ postulantur, vel ea certè suis precibus impetrare, tanquam sanctum atque ipsi *Xam-ti* gratiosum.

3°. Si contigerit in textibus aut commentariis Sinicorum librorum aliqua occurrere pugnantia quæ quidem ejusdem autoris esse constet, tùm decet, quod solet in scholis fieri obscuriorem locum ex clariori interpretari neque in obscuriori hærere ac vim facere, licet is magis videatur ad zelum nostrum ac pietatem accommodatus, aut ad eum locum referre, quo suam ipse sententiam autor distinctiùs explicuit. Jam si de variis autoribus agi-

tur, idem ferri judicium debet ac de opinionibus duabus probabilibus, ea scilicet haberi probabilior, quæ magis est consona huic doctrinæ quam litterati sequuntur, quæque in scholis tradi vulgò solet. Ita si dubia sit mens D. Thomæ, eamque Thomistæ duo ita explicent ut alter alteri pugnet, illius explicatio præferri debet ac censeri probabilior, quæ magis est accommodata ad principia scholæ Thomisticæ quam quæ minus cum ipsis cohæret.

4°. Idem dici debet de responsis doctorum, à quibus obscuri alicujus textus explanatio quæritur.

5°. Si quid litteratis Sinensibus proponitur, qui verum cupit elicere, duo hæc advertat diligenter: primum, ut neutram in partem videatur animo propendere, sed ad habendam ipsis fidem omninò promptus ac paratus, quidquid illis responderint. Alterum ut palam fiat interrogandi causa & rationes utrinque proponantur, sine ulla ad partem utramlibet propensione, mora ac tempus concedatur ut maturius rem totam discutiant, expectetur etiam dum in eam unam privato studio incubuerint.

Asserunt Patres Societatis esse inter ipsorum Christianos Doctores aliquos litteraturæ Sinicæ peritissimos quorum industriam ac fidem hac in parte summopere probant. Verùm sunt & alii quos vocant *Lavados* quos non facilè consulunt. Duplicem hanc quam dixi cautelam postulat & natura Sinensium & agendi ratio ab iis usurpari solita. Nam si vir quispiam

inter Sinas litteratus nos ad partem alteru-
tràm propendere ſentiat, periculum eſt ne
reſpondeat potius id quod nobis acceptum
fore ſperat, quàm quod exiſtimat verius. Dein-
de ſi cogitandi tempus non dederimus, ſæpe
fiet ut effutiat quidquid in buccam venerit,
quidquid occurrerit primum, nullo facto diſ-
crimine inter litteratorum & Bonziorum judi-
cia. Quod ſanè moleſtum non leviter accidit
iis qui volunt ut uſurpem verba Scripturæ,
diſtinguere inter lepram & lepram.

6°. Sciendum & illud eſt, in libris ipſius
Li-Ki multa de Bonziorum placitis aſperſa
fuiſſe. Notatum id à Patre Matthæo Riccio
in libro *Xe-y* cujus hæc verba ſunt: *Li-Ki yè
xà tò yeù ſi xim iên etri y.* Atque id inter Do-
ctores omnes Sinenſes convenit clarèque ha-
betur expreſſum in præfatione ad quoſdam
ipſius libros appoſitâ, ut videre eſt ad librum
yve-lim & alios cujus rei cauſa ea eſt quod hoc
opus vel omninò ſcriptum, vel certè editum
& publicæ luci datum non eſt niſi poſtquam
Doctores ſe ad Bonziorum placita atque do-
ctrinam accommodarunt, ut Regibus idolo-
latris obſecundarent. Quare manifeſtum eſt
adhiberi textum ejuſmodi librorum niſi ma-
gnâ cautelâ non debere, diſcernique diligen-
ter oportere ea quæ litteratorum ſectæ propria
ſunt, aliis quæ ab impiâ Bonziorum *Tao-ſus* ſectâ
deſumpta ſunt. Et quanquam deinde id ege-
rint in commentariis ſuis, ut omnia quoad
potuerunt, ad cultum civilem ac politicum
referrent, ſeu potius inficerent atheiſmo, ſuſ-
pecti certè debent eſſe, quippe recentiores,

& qui non legerint antiquos illos commentarios, quos Imperatoris *Ciu* jussu concrematos esse constat. Quare adhibendi sunt tamdiu quandiu sibi ipsi suisque principiis constant, præcipuè cùm nihil denique occurrat certius, nullus interpres antiquior habeatur.

Hinc est quod statim ab initio non dixi sententiam Patrum Societatis esse manifestam atque evidentem, quamvis solidis fundamentis innixam: sed probari pariter non potest oppositam sententiam ac praxim evidenter esse meliorem. Atque id est quod habetur in illo articulo congressûs à me suprà citato; *Quia fundantur in valdè probabili opinione cui nulla contraria evidentia opponi potest.* Sit igitur sanè & opposita sententia probabilis. Certè Jesuitarum sententia in eo vincet, quod iis principiis innitatur quæ valdè sunt ad litteratorum Sinensium doctrinam accommodata, quos quidem litteratos Sinæ omnes ipsique adeo Bonzii & *Taó-sús* fatentur Sinicorum rituum autores primùm ac deinde perpetuò conservatores extitisse.

7°. Prætermitti non debet illud scilicet si quid mortuis defertur quod non deferatur vivis, non continuo reponi inter superstitiosa debere. Nisi forte velimus ab omnibus gentibus & mandari terræ vivos quemadmodum mandantur mortui & funebres cæremonias omnes abjici, atque haberi superstitiosas. Prætereà ritus eos quibus mortui sepeliuntur, quia scilicet erga vivos non usurpantur, non jubet Ecclesia inter religionis actus numerari; sed inter *opera* quæ vocantur *misericordiæ*

corporalis ; atque in universum multa licet erga mortuos adhibere quæ erga vivos usurpari nefas est. Quæ *si per suffragii modum* aut invocandi ritu non fiant neque divinum aliquid aut sanctum defuncto tribuatur, dici non potest has cæremonias ad religionem pertinere.

Sed ut de una quâque cæremonia judicetur an ad cultum civilem pertineat, an ad religiosum, attendenda est intentio quâ adhibetur. Ex eo enim quod signa reverentiæ quædam erga mortuos usurpentur, quæ solent etiam adversus vivos usurpari, valdè probabiliter conjicitur, non tamen evidenter demonstratur cultum esse merè civilem. Pariter contrarium elici non debet ex eo quod mortuis exhibeantur quædam quæ vivis non exhibentur. De ritibus tamen Sinensibus operæ pretium est animadvertere, eos ritus qui ad Regum ac Mandarinorum etiam vivorum honorem adhibentur nobis Europæis nimios ac supervacaneos videri, sed non damnari tamen debere ut superstitiosos, quia in iis exercendis nullatenus Sinæ videntur de religione cogitare. Atqui idem prorsus debet esse judicium de ritibus plerisque Sinensium erga mortuos, quos ita colunt ac si vivi essent. Et verò ejusdem ordinis sunt hac quidem in re prototypum & imago; neque debet obstare quod vana nobis esse videatur illa cogitatio, neque possimus quod illi faciunt, reverentiam hanc atque observantiam erga parentes diligentiorem ac subtiliorem interpretari.

8°. Addo prætereà, cùm alicui tribuitur appellatio *Xing*, cultus religiosi signum certum

tum atque indubitatum non esse. Neque verò tantum eâ voce continetur sanctitas propriè dicta, qualem esse oportet eam de quâ agit sacra Congregatio in responsis ad Patrem Joannem Baptistam de Morales. Et verò *sanctitatem propriè dictam* intelligit eam quæ talis est in *rigore Theologico*, eam scilicet quæ supponit gratiam sanctificantem & amicos Dei ad cælum evehit, quò non pertingit virtus tantùm moralis, quanta quanta demum sit. Hujusmodi sanctitatem dicere possumus à Sinis attributam fuisse Regibus suis priscis *ven vam*, *chim tam* atque aliis quos etiam religioso cultu videntur fuisse venerati. Jam post Confucii mortem ejus discipuli & Doctores antiqui, diligenter illi paruere suadenti *ne res alterius vitæ vellent attingere*; quare non magnopere contenderunt ut sanctitatem ejusmodi vel ipsi tribuerent vel aliis virtute ac probitate insignibus; atque omissâ sancti appellatione id fategerunt ut illustrem ipsorum eruditionem atque ingenii præstantiam potius quàm virtutes morales prædicarent.

Quod vel ex eo satis apparet, quod licet antiqui Sinæ sanctos habuerint ac venerati sint Reges eos de quibus dixi, qui Confucii probitatem vel adæquarunt, vel etiam superarunt, primum tamen inter suos *Xing* locum Confucio concedunt, dum eum vocant *Chi-xing*; secundum, ejus discipulo *Mem-Cu* quem dicunt *Ya-xing* quem ut philosophiæ peritissimum fuisse nemo negaverit, ita facilè fatentur omnes non maximâ virtutis laude floruisse, prorsusque esse indignum

qui cum antiquis illis regibus eâ quidem ex parte conferatur.

Atque hoc quoque tum perſpicitur, cùm illi explicant primum hunc ſanctitatis locum, quem Confucio tribuunt; & ſecundum, quem Mencio. Sanctitatem quippe in eo volunt eſſe repoſitam, quod uterque doctrinam ipſis reliquerit ad annos ſeu generationes decies mille propagandam. Athei ac Doctores conſecuti etiam audaciores hac in re fuerunt. Primum enim illud *Xing* ſive ſanctorum, ut placet interpretari, genus, ex albo ſuo exemerunt: Antiquorum ſcriptorum textus ad ſenſus metaphoricos & tralatitios detorquent. Vocem ipſam *Xing* in commentario libri *Xu-xing* cap. *to fam* ad hunc textum, *Guei xim vàn ven* hoc gloſſemate explicant: *Xing-tum mim chi chim*, hoc eſt, vox illa *xing* appellatio eſt honorifica, quâ donatur qui novit ac percepit omnia.

Huic gloſſemati adhærent interpretes tum ad hunc locum tum ad alios ſimiles: & autores libri *Sim li* expreſſiùs etiam notavere perfectionem illam quam vox *Xing* ſignificat, poſitam eſſe in eâ ingenii ſagacitate quâ omnia facile quaſi naturâ duce & ſine ullo ſtudii labore percipiuntur.

Quibus poſitis non diffitentur Patres Societatis adhiberi vocem hanc poſſe ad veram ſanctitatem connotandam: quippe nullam aliam in linguâ Sinicâ vocem occurrere, quæ ſit ad illud ſignificandum aptior. Neque eâ voce virtutem aliquam moralem ſignificari negant, negant verò non patere

latiùs & ad nulla alia posse pertinere vocis hujus significatum. Hoc aiunt denique Sinas litteratos cùm suum Confucium vocant *Chi-Xing*, non id velle Confucium virtute eâ quæ in morum probitate sita est, vel Sinis omnibus vel etiam cæteris mortalibus antecelluisse, sed tantùm se ob doctrinam ab ipso traditam longè plus ipsi debere quàm cæteris Philosophis vel Sinensibus vel aliis; idque totum eò referri, ut eum magistrum agnoscant ac venerentur. Hoc Patres Societatis JESU probant his argumentis quæ jam adduxi, atque aliis plurimis, quæ communi litteratorum hujus temporis testimonio comprobantur.

Suberit fortasse cuipiam scrupulus de cæremoniis ipsius *Ci* quasi qui eas frequentet, videatur hoc profiteri credere se, spiritus cibis appositis vesci posse. Qui scrupulus eximetur facile, si meminerimus quæ sit natura signi illius quod vocatur *ab instituto*, nempe ut nihil significet nisi id ad quod significandum ab instituente determinatum est. Unde si quis alio sensu & significatu usurpet, proprius ipsius erit error, neque ad alios ullatenùs pertinget. Itaque quamdiù constabit ipsum *Ci* non eo fine fuisse institutum ut significaret spiritus vesci dapibus appositis posse, non profitebitur hanc insaniam, qui eo ritu perfungetur. Atqui litteratos à quibus ritus iste profectus est, & ad quos illius conservandi cura pertinet, numquam eum errorem in animo habuisse, conficitur evidenter tùm de litteratis horum temporum, siquidem hi professione atheismi gloriantur, tùm de anti-

quioribus, quia longè abhorret ab his nugis; doctrina ab iis tum alibi tradita, tum in libro præcipuè quem appellant *Li-Ki* quod qui perspicere volet, legat modò quid habeatur in iis libris de origine cæremoniæ quam vocant *Lium-Ti* quod verbum magis est ipso usu tritum, quippe correlatum verbi *Ci*; ut omittam multos alios textus libri *Li-Ki* quibus probatur spiritus non vesci dapibus appositis, idque ab eorum naturâ quam longissimè abesse.

Sed quorsum hæc omnia? Nimirum ut id efficiam, ab eo *Ci*, cùm nihil contineat superstitiosum aut contrà fidem, facillimè separari posse eas superstitiones, quas idololatrarum vel malitia vel inscitia invexit, atque iis sublatis, quemadmodum Sacra Congregatio jubet, nihil superfuturum quod vel periculi quidpiam habeat vel scandali, sed merum actum obedientiæ sive observantiæ, more atque instituto gentis probatum, nullatenus Ecclesiæ Catholicæ præceptis adversantem, quæ scilicet se benignè accommodat quà licet, ad omnium gentium mores, *ut omnes lucri faciat Christo.*

Et quoniam scandali facta est mentio, velim hìc annotari diligenter idcircò nobis Europæis ritum *Ci materialiter sumptum*, ut scholæ verbis utar, idololatricum videri, quia scilicet aliis gentibus superstitiosorum atque impurorum sacrorum materiam & subministravit olim, & etiam nunc subministrat. Apud Sinas verò, qui dùm *Ci* suum offerunt, nihil aliud volunt, nihil cogitant nisi ut ex more patrio suis progenitoribus honorem exhibeant, qui

ne fando audivère quidem de illis idololatrarum ſacrificiis, quod tandem cuiquam ſcandalum oriri poteſt? quæ poteſt in eo ritu fingi ſpecies mali, præcipuè ſi quod jubet Sacra Congregatio, ſuperſtitioſa tollantur, quæ ſenſim irrepsêre? atque hinc factum arbitror, ut dum eadem Congregatio notavit ea quæ tolerari poterant, omiſerit hanc exceptionem *modò nullum ſit ſcandalum.*

Viderunt quippe Romani Qualificatores in iis omnibus quæ Neophytis Sinenſibus permittebant, ſcandali nullam anſam eſſe poſſe. Quare hoc totum pro ſuâ prudentiâ tacuerunt. Illud eſt quod vehementer velim adverti, ne Chriſtiani jubeantur, ubi nihil neceſſe eſt, (neque verò video cur neceſſe ſit) fidem expreſſè profiteri, quod non tam facilè adducuntur ut faciant.

SECUNDA PROPOSITIO.

Quod ſpectat ad probabilitatem extrinſecam, dico ſententiam Patrum Societatis Jesu eſſe probabiliorem oppoſitâ. Id jam probavi iis ſcriptis quæ paraveram ad congreſſum noſtrum Lan Kienſem antè etiam quàm Jeſuitas vidiſſem; quod feceram nullâ aliâ re inductus quàm charitate, quæ profectò non ſinit in re tam gravi temerè damnari viros qui jamdudum in Eccleſiâ florent ſummâ pietatis ac doctrinæ laude. Jam verò lectis iis libris & doctis & piis quos eâ de re Soc. Jesu Patres ediderunt, ipſiſque Societatis Patribus cognitis, muneris mei atque æquitatis eſſe credidi hoc ipſorum

virtuti & laboribus in hac Miſſione toleratis tribuere, ut deffenderem, quod jam deſſendendum aggredior. Sed quia *comparatio*, quod aiunt, *omnis odioſa eſt*, profiteor non ideò me Jeſuitarum ſententiam amplecti, quod exiſtimem alterum alteri ordinem præſtare, aut Miſſionarios unius majori vel ſcientiâ vel authoritate valere oportere quàm alterius. Sic enim mihi perſuaſi cùm quis ad Miſſiones à Præpoſitis ſuis deſtinatur, non temerè, ſed poſt multas longaſque probationes deſtinari. Præterea perſpecta mihi ſatis eſt tum fratrum meorum ex Ordine ſancti Dominici, tum Patris Antonii de S. Mariâ Franciſcani doctrina, cum zelo & virtute conjuncta: de Patribus verò Societatis JESU qui hìc adſunt, quàm honorificè ſentirem, teſtimonium etiam interpoſito juramento dedi. Nam de iis qui ex hac vitâ diſceſsêre, teſtantur eorum ſcripta, id quod à Patre Brancato mihi dictum olim fuit, ſententiam hanc amplexos eſſe ſexaginta & ampliùs Societatis JESU Sacerdotes, quorum aliqui publicè Theologiam in Academiis Europæis docuerant. Ut verò majorem probabilitatem eorum ſententiæ tribuam his potiſſimum argumentis adducor.

Primò. Cum Societatis JESU Patres in Imperium Sinenſe longè antè ſint ingreſſi, quàm duorum aliorum Ordinum religioſi, credibile eſt eos plus valere uſu atque experientiâ, meliùſque Sinenſium mores atque inſtituta percepiſſe.

2°. Cum Societas in longè pluribus imperii partibus verſetur, quam alii ex utroque Or-

dine Missionarii, faciliùs potuit existimare quid toti Imperio commune, quid singulis Provinciis proprium ac peculiare sit; quid intrinsecum ipsius *Ci* ritibus, quid extrinsecum & aliundè accersitum.

3°. Longè plures Christianos erudiendos habuit: potuit igitur faciliùs quid verum esset à pluribus quærere & veriores proinde & tutiores informationes assequi.

4°. Patres Societatis longè majori semper fuere numero, quàm alii ex duobus Ordinibus etiam simul sumpti: cum igitur *& plus videant oculi quàm oculus*, & tutius sit aurium duarum quàm unius judicium, negari Societatis Patribus non potest majoris experientiæ laus, quæ est in oculorum auriumque testimonio posita.

5°. Cum denique inter suos Christianos habuerint aliquos Colaos aut Doctores litteraturæ famâ præstantes, qui Mandarini fuerint, eorum ope Sinicam politiam, quam scilicet illi administrabant, totam pernoscere diligentiùs potuere, quam alii ex duobus Ordinibus Missionarii, quibus nunquam oblata ea facultas est. Ac Missionarios quidem inter se comparari utrorum plus valere debeat autoritas minimè oportere dixi, Doctores verò Sinicos alios cum aliis ex eâ parte conferri nihil vetat, cùm à se invicem dissentiunt.

Atque hæc, ni fallor, argumenta quinque sunt ejusmodi, ut eorum vel unum satis sit ad probabilitatem majorem, cæteris paribus, Jesuitarum sententiæ tribuendam. Quam vim si habent singula, quantò majorem collecta ha-

bitura esse censebimus? Cùm præsertim nulla sit alia ratio inquirendæ qualitatis moralis Cæremoniarum harum Sinensium & de iis judicandi, quàm si à Sinensibus Doctoribus ac litteratis cognoverimus quâ intentione eas adhibeant, & qua ratione debeant intelligi quæ ipsorum majores libris mandavere.

Quærendum hoc unum restat, nùm Societatis JESU Patres eam in inquirendo diligentiam adhibuerint quam summam adhibuere debuerunt, nùm qui postremi venêre in tantâ inquirendi facilitate, decessores suos nimis facile secuti sint, eorumque autoritati & exemplo plus tribuerint, quàm tribui veritas ac ratio pateretur; num ipsi illi decessores nullo adhuc usu rerum edocti aut per se lapsi sint aut ab aliquibus litteratis pseudo-Christianis in errorem inducti.

Quanquam illud est ejusmodi, ut hærere in cujusquam animo non possit sine gravi injuriâ in Patres Societatis, quorum tantum est & tam illustre Divinæ gloriæ procurandæ studium, tamen ut hunc scrupulum eximeret, Pater Dominicus Gabiani procurator vice-Provinciæ Sinensis, atque hujus Cantoniensis domus minister, tractatum edidit de his controversiis, in quo veluti annumeravit Inquisitiones omnes tàm intrà quàm extra regnum Sinense factas, ab hujus Vice-Provinciæ Præpositis, atque à Missionariis universis, qui etiam exquisitâ sententiâ Doctorum ex Academiis Indicis, ex Macaensi, ex Lusitana ac Romanâ, comperêre Doctores omnes in eo consentire, ut sententiam ac praxim Jesuitarum

tarum ab omni periculo remotam esse pronuntiarent.

Habet hæc enumeratio consultationes admodum quatuor & septuaginta, præter illas quæ factæ sunt à singulis Missionariis; quo in genere silere non possum ipsum Patrem Brancatum eâ de re Panormum, quæ urbs mihi natalis est, scripsisse ad Patrem Franciscum Bardum, cujus unius sententia tanti ponderis apud omnes concives meos foret, ut opinionem suâ unius autoritate faceret probabilem. Is quippe & plures annos Theologiam docuerat in Academiâ Panormitanâ, & singularem laudem fuerat & famam consecutus tum apud omnes, tum præcipuè apud Dominicanos nostros præcipuo Doctrinæ D. Thomæ propugnandæ studio; præterquàm quod & ejus gloria longe ultrà Panormum transvolavit egregiis editis de Theologiâ Morali libris. Ille igitur ad Patrem Brancatum hunc in modum respondit anno 1637. *Legi iterùm atque iterùm quæsita à vestrâ Reverentiâ mihi proposita, quæ etiam communicavi cum Doctis Patribus, meaque sententia & illorum est, nullum esse scrupulum in honorando Confucio illis obsequiis & cæremoniis, cùm sit genus politicæ observantiæ. Et idem dicendum de cæremoniis Parentibus exhibitis, quamvis vana mihi videatur illa oblatio ciborum, sed nullo superstitionis vitio notanda. Hæc ille.*

Satis mihi quidem hactenus confirmasse videor quod secundum proposui. Verum id jam restat ut solvam illud quod solet objici, nimirum aliter sensisse quosdam atque etiam multos è Societate JESU. Id adeò manifestum esse in

iis catechismis linguâ Sinicâ editis, in quibus sacrum missæ sacrificium & legis Mosaicæ sacrificia reddunt per vocabulum *Ci* atque ex lexicis quæ antiqui Missionis hujus cultores edidere, in quibus *Ci* prorsùs idem esse volunt ac sacrificium; Et in explicando *Ci* Confuciano & defunctorum, sacrificii vocem adhibuere. Unde fieri videtur etiam Patrum Societatis judicio *Ci* idem esse ac sacrificium verum ac legitimum.

Ad hæc Jesuitæ sic respondent mirum videri non debere quod inter populos recens ad fidem Christianam adductos quorum lingua voces nullas habet quibus religionis nostræ mysteria distinctè & specialiter explicentur, ea usurpentur verba quæ plus affinitatis habere videantur; sic enim planè sanctos Patres voces eas usurpavisse *Deus*, *spiritus* &c. præterea vocem *Ci* verum sacrificium significare cum refertur ad *Xam-ti* vel ad Idola, & foret veri sacrificii loco, si Deo exhiberetur, ex legis Mosaicæ ritu. Itaque vocem illam *Ci* per se ambiguam esse & indefinitam, quæ si referatur ad Deum, *latriam* denotare; *duliam* si ad inferioris Ordinis spiritus; cultum vero planè civilem, si ad progenitores mortuos. Idem omninò dici posse de latino verbo *adorare*, quod ubi de Deo agitur, *latriam* significat, *duliam* ubi de Sanctis, reverentiam verò atque observantiam dumtaxat si de Rege aliquo aut viro principe: hanc communem esse sanctorum Patrum doctrinam: Unde si contigit ut qui linguâ Sinicâ verum sacrificium quo Deus colitur seu Missam appellare voluit, ver-

bum *Ci* adhiberet, non continuò ſequi omne *Ci* eſſe verum ac propriè dictum ſacrificium, neque hanc fuiſſe mentem autoris.

Ad alterum quod objicitur jam reſpondi ſcriptores Europæos, Jeſuitas nimirum, neque enim alii apud Sinas Europæi ſcripſere, ideò verbum *Ci* per *ſacrificium* reddidiſſe, quia & nullam habebant Europeæ linguæ vocem, quæ eſſet propria, & quia *Ci* Sinicum accedere videtur ad illud quod Europæi ſacrificium vocant. Neque verò neceſſe fuit id in lexicis annotari, cùm ea digeſta ſint in uſum Miſſionariorum Sinenſium, quos omnes & Theologos oportet eſſe & eruditos. Atque ut demus aliquando contigiſſe ut aliqui Societatis JESU Patres recens in hoc Imperium adducti, dubitaverint num tolerari hæ cæremoniæ poſſent, aut etiam eas nondum ſcilicet planè cognitas ac perſpectas improbaverint, certè negari non poteſt eos ipſos poſteà Societatis uſum ac praxim eſſe ſecutos; quare non tàm quod olim dubitaverint, Societatis cauſæ nocet, quàm quod poſteà ad aliorum è Societate ſententiam acceſſerint, evidenter probat id quod aſſerui, Societatis ſententiam, ſi autoritas ſpectetur, eſſe longè probabiliorem.

Hæc ſunt quæ ut ſcriberem impulit me fratrum meorum ex Ordine ſancti Dominici bonum atque utilitas; eos etiam atque etiam oro & obteſtor, ſi Deum amant, ſi me ipſum aliquâ benevolentiâ & charitate complectuntur, ut & rationes has perpendant, & cogitent quàm neceſſe ſit unam atque eandem

ab omnibus Missionariis iniri agendi rationem, & illud comprobent quod est actum, & ea faciant rata, libenterque suscipiant, quæ ipsorum nomine Pater Navarretta cum Vice-Provinciali Societatis Jesu pactus est, ut scilicet omnes Simus in unum & Dominus sit cum omnibus nobis, quoniam ipse dixit *ubi sunt Congregati duo, vel tres in nomine meo, in medio illorum sum.* Atque ipsius præsidio & Societate freti possimus resistere adversariis dæmonibus, qui quanquam inter se pugnent, in eo tamen consentiunt ut nobis bellum inferant. Atque hæc quæ dixi omnia, Ecclesiæ Catholicæ ac Præpositorum meorum judicio & censuræ submissa sunto. In urbe *Quam-tum* seu Cantoniensi pridie cal. Octobris anno 1670.

F. Dominicus Maria de Sancto Petro ex Ordine fratrum Prædicatorum.

Testor hoc exemplum Hispanicum transumptum esse ex altero quod descriptum fuit ex meo autographo. Actum in hac domo Cantoniensi, pridie Cal. Octobris anno 1670.

Frater Dominicus Maria de Sancto Petro, qui suprà.



R. P. DOMINICI

NAVARETTÆ

DOMINICANI EPISTOLA

Ad Reverendum Patrem Joannem Paulum Oliva Præpositum Generalem SOCIETATIS JESU.

REVERENDISSIME PATER.

De communi ſanctæ matris Eccleſiæ fœcunditatis gloria maxime congratulandum tibi, & pro filiorum tuorum erga me, & Ordinis mei alumnos exhibitis beneficiis, gratias agere operæ pretium duxi, Reverendiſſime Pater, ſi quidem in filiorum virtute, & ſapientia, haud parvam patris gloriam fulgere, & pia charitatis officia eorum in nos, ex uno Paternitatis tuæ erga Deum, & proximum amore, tanquam è copioſo fonte emanare nulli dubium eſt. Gratulorque Reverendiſſime Pater quod venerabiles filii tui,in hocampliſſimo Sinarum Regno verè ſunt,*tanquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum*, lignum ſanè viride frondentibus veſtitum foliis, ſub cujus umbra pro Deo lucratæ innumerabiles Ethnicorum animæ requieſcunt; lignum etiam ornatum floribus boni odoris famæ, & converſationis, ac plenum fructi-

bus laborum, vigiliarum, aſſiduæ orationis, mortificationis, & prædicationis, & quidem quilibet eorum nominari poteſt arbor alta nimis, cujus rami alti, per contemplationem pertingunt Cælos, extenſi, nunc per vivæ vocis animatam, nunc per ingenti librorum numero typis traditam divinæ legis prædicationem, totum hunc Sinicum orbem (de illo enim in præſenti dumtaxat loquor) replent, occupant. Ita ut meritò dici poſſit, in omnem iſtius novi orbis terram reſonare voces eorum. Arbores iſtæ permagnæ ſecus decurſum aquarum plantatæ frondeſcunt; quando quidem aqua (etiam in ſenſu horum infidelium) ſymbolum eſt ſapientiæ, vel quia ſicut aqua eſt clara & munda, ita ſapientiæ nitor hominem reddit clarum, & mundum, juxta illud, *per ſapientiam ſanati ſunt, quicunque placuerunt tibi Domine*, vel quia ut aqua de ſurſum veniens, terram rigat, fœcunditatem generat, ſterilitatem tollit ac demum ardore ſolis rursùs elevatur ad nubes, ita ſapientia à Patre luminum deſcendens, fovet, rigatque mentes hominum, gignit, fœcundatque in Eccleſia virides plantas dantes in tempore ſuo uberrimos doctrinæ fructus, vincentes omnis ſaporis ſuavitatem; filii tui clari & mundi, clari ratione doctrinæ, mundi ratione vitæ, pleni ſuperabundanter ſapientiâ, & claritate; quidquid faciunt ſapienter faciunt, prudenter diſponunt, ac melle conficiunt charitatis: filii tui verè rigarunt aridum hujus magnæ Regionis deſertum, ſemenque verbi Dei, ab eis ſatum, dedit fructum ſuper milleſimum,

non utique pinguedine terræ, sed solùm cura seminantis, & rigantis, ac Domini incrementum dantis: terra hæc, terra sterilis, & inaquosa, terra petrosa, & salsuginis, solum ex se proferens infidelitatis tribulos, ac insciтiæ spinas, at ubi filiorum tuorum super inundans advenit sapientiæ flumen, quot fructus germinavit numerare quis poterit? Stellas Cœli arenasque maris, si quis enumeraverit is animarum per filios tuos Ecclesiæ genitarum utique numerum perscribet, non alius. Fluvius iste sapientiæ de sursum venit, ac iterum sursum ascendit, quia filii tui continuè, & instanter se moventes de contemplatione ad opus, & de opere ad contemplationem ascendentes, & descendentes, motum ut ita dicam conficiunt circularem, at motus iste mirabilis, proceras Filiorum tuorum arbores, non quatit, vel cædit, imò magis ac magis ipsas radicat & firmat, utpote sapientia illorum à Christo petra angulari, & fonte aquæ vivæ perennem ducit originem. Sunt itaque filii tui plantati secus decursus aquarum radicati, firmati, fundati in Domino Jesu, qui est sapientia Patris, radicati in ejus amore, firmati in ejus fide, & præceptis, fundati in ejus Societate, non minus re quàm nomine, quid mirum, si opera illorum non defluunt? Quomodo omnia quæcumque faciunt non semper prosperabuntur? Mundus, Caro, Dæmonia, etsi coacervatim præsentem, vel millies alias excitaverint persecutiones (haud temerè dicam) non prævalebunt adversus eos, nam virga, & baculus Christi consola-

tur suos, & percutit inimicos ipsorum, Filiique tui etsi persecutionem perpessi, magis in hoc expetunt congaudendum, quàm condolendum, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Gaude igitur Reverendissime Pater, gaudeat, & ter, quaterque beata Societas tua, & de alumnorum tuorum contumeliis, ut de perceptis triumphis glorietur, gratias agens Deo, qui tales tibi filios dedit, quique dignatus est ipsos pro dulcissimo filii sui nomine propagando rapinam bonorum suorum, carceres, ac contumelias ad mortis usque sententiam cum gaudio sustinere. Quæ autem, & quanta in ista persecutione sint perpessi, ipsimet in annuis Societatis Epistolis, te certiorem reddunt. Me gratitudinis stimulus de ipsorum erga nos studio, aliqua significare compellit; & quidem non sine concientiæ scrupulo; nam brevis epistola maximi eorum erga nos amoris, benevolentiæ, charitatisque, non satis est, ut nec tantillum exarari queat. Certè verba deficiunt, obmutescit sermo, papyrus non capit singula eorum circa nostrates exhibita beneficia propalare. Solùm referam quæ persecutionis tempore oculis vidi, & manibus contractavi, & de his quidem, haud satis; experimento certè probavimus, officiosos filios tuos nos ubique domorum prætereuntes excipere majori studio, ac ipsosmet Societatis alumnos. Hic Pekini degentes alunt, & fovent ut piissimi Patres; adjuvant & favent ut charissimi Fratres; amant & diligunt, ut fidelissimi amici; compatiuntur nobis plusquam Socii dilectissimi;
continuè

continuè verſatur inter ipſos piiſſima conten-tio & æmulatio ad exequenda circa nos officia pietatis. Non certè pingo, ſed formo locum Elenæ: fateri beneficia poſſumus, effectus gratitudinis deeſt, adeſt, & ſemper aderit humilis ſubjectionis affectus. Certiorem facio tanti debiti Noſtrum Reverendiſſimum Patrem, ut vel ipſe pro filiis ſuis ſatisfaciat. Te autem humiliter precor ut pro me, meiſque ſociis memor ſis in tuis ſacrificiis. Deus optimus maximus conſervet, augeat annos vitæ tuæ, ac ſocietatem amplificet ad majorem Dei gloriam in curia Sinica, 4. Septembris 1665.

Humillis Veſtræ Reverendiſſimæ Paternitatis Fr. Dominicus de Navarette.

DOCUMENTUM TRADITUM Reverendo Patri Antonio de Govea Societatis Jesu *Vice-Provinciali Sinensi à Reverendo Patre Dominico Navarette Præposito Dominicanorum qui propter fidem in carcerem missi sunt Cantoni anno 1669. Latinum factum ex Hispanico.*

REverende Pater, Ea de quibus hodie cum Paternitate vestra egi, non dubito quin ultrò ad Reverendum Patrem visitatorem deferat. Quare faciendum mihi esse duxi, ut illa eadem scriberem, nimirum in iis quæ ad mortuorum tabellas, cæremoniasque funebres pertinent, nos omnino ac nullâ re prorsus immutatâ adhæsuros, iis quæ à Patribus Societatis vestræ statuta olim fuere, in eo congressu quem habuerunt in urbe *Ham-theou* mense Aprili anni 1642. de Confucio verò permissuros ea quæ vestri permittunt, sublatis nimirùm solemnibus duabus, quæ Patribus Societatis non probantur. Atque ut appareat nos spiritu charitatis duci, atque in eâdem esse sententiâ videtur operæ pretium ea referre singula, de quibus jam convenit inter nos.

De nominibus Sinicis *Xam-ti* & de spiritibus, quoniam delata res est ad R. P. Generalem vestrum, atque, ut arbitror, etiam ad Sacram Congregationem de propaganda fide,

expectabimus responsum, atque intereà sequemur illud, quod apud vos est constitutum; si vobis visum fuerit aliquod immutare, & nos pariter idem immutabimus, vel omittemus de eo loqui, vel ita certè loquemur, ut nulla ex nostro sermone perturbatio consequatur. Jam si qua in posterum nova difficultas oriatur, nihil ante statuetur quàm ad eum delata fuerit, qui Vice-Provincialis munus in Sinis obtinebit, atque ita fiet, ut æquâ utrinque gratiâ, res omnes & prout viros religiosos decet, componantur. Paternitatem vestram Deus optimus servet diu incolumen, in uberes hujus Missionis fructus. Actum die 29. Septembris an. 1669. Paternitatis vestræ servus humillimus.

Dominicus Navarette.

EXEMPLUM EORUM, QUÆ statuta sunt inter Patres SOCIETATIS JESU *in urbe* ham-teheou *primaria Provinciæ Che-kiam Aprili mense anno 1642.*

QUæsitum est de iis quæ ad mortuos spectant; de eo quod *Tiao* vulgò dicitur; de solemnibus apud Sinenses verbis ac ritibus, officiosisque salutationibus post amicorum mortem usurpari solitis. Patres censuerunt nostri omnium muneris esse Catechumenis clarè ac dilucidè res quasdam exponere, quas abusus & superstitiones esse manifestè constat, verbi gratiâ. 1°. Idolis offerre vota & preces. 2°. Ante mortuorum feretrum sortiri. 3°. Eorum auxilium implorare, vel sibi vel liberis ac nepotibus suis, aut eam de mortuis opinionem suscipere, posse eos nobis opitulari. 4°. Credere mortuorum animas interesse tabellis iis, quibus eorum inscripta sunt nomina, non Paradiso vel inferis. 5°. Cibos iis offerre quibus ipsorum animæ vesci, aut ciborum odorumve nidore pasci credantur. 6°. Monetam ex aurata papyro, atque alia ejusmodi incendere, sic quasi prodesse ea possint iis, qui ex hac vita excessêre.

Et quoniam his omnibus errores manifesti continentur, quos ex animis hominum evellere nostri officii est, sedulò curabimus ut intelligant per nos nihil ipsis aliud licere,

quam! ut ſalutationes & cæremonias adhibeant merè politicas ac civiles, quæ ideò ſunt inſtitutæ ut debita parentibus obſervantia eodem ritu etiam mortuis exhibeatur, quo exhiberetur viventibus, ut Sinarum libri teſtantur, *Sii ſú jú vam ſú cien.* Quantum ad eas ſalutationes ſpectat, quæ teſtandi doloris causâ poſt amicorum mortem adhibentur, Patres cenſuerunt eas poſſe tolerari, quales nunc uſurpantur, ſuntque hactenùs toleratæ. Fuere, qui dicerent eas tolerari ſcilicet tandiu debere quandiu fieri non poſſet aliter, & ſi qua eſſet dubitatio enitendum eſſe, ut quoad liceret Sinenſes ad mores Europæorum, atque inſtituta traducerentur.

Jam cæremoniam illam quæ *Ciao* dicitur eſt quæ in eo poſita ut verbis conſolatoriis addantur odores & cerei, & tam mortuus quàm ejuſdem propinqui more patrio, capite ſcilicet ad terram demiſſo ſalutentur, communis Patrum ſenſus fuit nihil in ea eſſe quod debeat Chriſtianis interdici, priſtinamque ejus tolerandæ conſuetudinem poſſe retineri neque tamen defuere qui cenſerent cautè id à nobis potiſſimum uſurpandum eſſe, viderique longè ſatius, cùm præſertim à Chriſtianis fuerimus invitati, eorum domos accedere atque ibi precibus ad Deum orationibuſque recitatis demortui propinquos ſolari verbis, doloremque teſtari noſtrum; tum ſi pauperes atque egeni ſunt, aliquid ipſis eleemoſynæ loco largiri, vel paſtillos cereoſve vulgares, quos ante imaginem aliquam piam incendant ad exorandam in mortuos clementiam Dei.

Utile imprimis erit inter eos qui deinceps ad fidem Christianam accedent, eam induci consuetudinem, quæ jam in multis Ecclesiis obtinet, ut scilicet Christiani doceantur, ubi quis è propinquis, parentibusve decesserit, vel imaginem aliquam piam, vel certè crucem, aut sanctum Domini nostri Jesu Christi nomen imponere illi mensæ, super quam odores incenduntur, & ante quam solent Sinæ corpora, honoris causâ, ad terram demittere.

Quæsitum est præthereà num expediret aliquas vulgaris catechismi partes exponere paulò fusiùs, ac visum est illud præstari debere ad ea verba *Tien-chù Kiao yao*, quemadmodum animadversum est ab iis patribus qui in borealibus hujus Imperii partibus versantur. 2°. Ad ea verba, *descendit ad inferos*, plura & explicatiora de Paradisi gloria dicenda. 3°. Addenda præterea de novem illis modis quibus alienorum peccatorum particeps esse quis potest, & de duodecim qui dicuntur Spiritus sancti fructibus, quæ habentur in catechismis Europæis, qui ad nos linguâ Lusitanicâ scripti deferuntur.

Placuit præthereà unam ab omnibus atque eamdem iniri rationem in numerandis septem ætatibus mundi, eam scilicet quæ est Romani martyrologii, juxtà declarationem & approbationem Theologorum Romanorum ad nos missam anno 1640. Tum quia talis est usus Ecclesiæ; tum quia calculus ille magis ad Sinicorum annalium calculum accedit: Quare libros jam editos emendari quantum opus fuerit, atque ad hoc decretum accommodari,

ne ſi parùm in tantâ re concordes nos eſſe Sinæ videant, occaſionem inde ſumant accuſandæ fidei Chriſtianæ. Porrò annorum mundi ratio hæc habetur in Romano martyrologio ad 25. Decembris, qui dies eſt Jeſu Chriſti Domini noſtri natalis.

Anno à creatione mundi 5199. a diluvio 2957. ab ortu Abrahami 2015. à Moyſis temporibus & Iſraëlitarum exitu de Ægypto 1510. à Davidis regis unctione & inauguratione 1032.

Atque hæc extant in ipſo textu authentico, Luſitanicâ linguâ ſcripto in cujus rei fidem ſubſcripſi in hac Cantonenſi domo die prima Octobris anni 1669.

Fr. Dominicus Navarette.

RESPONSUM REVERENDI Patris Antonii de Govea SOCIETATIS JESU *Vice-Provincialis Sinensis ad superiora scripta duo Reverendi Patris Navarette Præpositi Superioris Dominicanorum.*

REverende Pater, Tradidit mihi paternitas vestra cartam quamdam ipso Archangeli Michaëlis festo die, quem sibi faustum ac felicem Missionarii Sinenses gratulari debent, atque aptum ad pacem inter ipsos concordiamque certo stabiliendam. De nobis quidem hoc possum Paternitati Vestræ polliceri, gratissimum nobis & jucundissimum atque optatissimum accidisse quod tam religiosè ac piè decrevit de ea ratione sequendâ, quam Societatis JESU Patres jam ab annis octoginta sequuntur in Sinensibus ad Christianam fidem adducendis. Ita nimirum dum separatur pretiosum à vili, cultusque legitimus ac soli Deo debitus à superstitione & idololatriâ discernitur, apertus est gentilibus omnibus aditus in Ecclesiam; quod fieri profectò non potest nisi in cæremoniis Sinensibus atque institutis, id quod merè civile est ac politicum ab omni superstitione seponatur. Hæc omnia Paternitas vestra suâ illâ nunquam satis laudandâ declaratione complectitur; continentur enim omnia ferè, vel ea certè quæ sunt necessaria, maximè, honoribus iis qui Confucio &

mortuis exhibentur ; de cæteris nihil eſt quod ſingulatim agamus , quandoquidem nulla eſt de iis inter Ordinem veſtrum Societatemque noſtram controverſia.

De eo congreſſu quem inter Societatis noſtræ Patres in urbe *Ham-tcheou* menſe Aprili an.1642. habitum eſſe Paternitas veſtra teſtatur , nemo eſt noſtrum qui aliquid inaudierit , Pater Ferrari qui in illa urbe degebat illo eodem anno atque etiam menſe, nullum ejuſmodi congreſſum fuiſſe confirmat. Sed fieri facilè potuit , ut Patre Ferrario digreſſo , reliqui Patres quatuor de iis rebus agerent inter ſe veluti familiari colloquio , non celebri ſolemnique congreſſu. Unde nimirùm contigit ut neque per vice-Provinciam jam tum ab eo tempore Pater Vice-Provincialis , quidquam eo de congreſſu promulgaverit , neque illius Archetypum in Archivio Provinciæ ſervatum ſit, neque de illo deniqne quicquam ad nos famâ atque auditione pervenerit.

Cæterùm quandoquidem congreſſum illum Paternitas veſtra laudat oportet eum ſaltem inter privatos fuiſſe celebratum ; & quoniam quæ in eo ſtatuta ſunt iis ſe adhæſuram profitetur , pergratum illud nobis & perjucundum accidit , nihil enim in iſto inſtrumento continetur, quod non tum à nobis tum ab antiquis è Soc. noſtra Miſſionariis fuerit factitatum. Quippe ea permiſimus quæ civilia & politica eſſe viſa ſunt , ſuperſtitioſa verò rejecimus , ſive in ſalutationibus officioſis poſt amicorum mortem ; ſive in iis tabellis , quibus mortuorum inſcripta ſunt nomina , ſive deni-

que in honoribus exhiberi Confucio ſolitis.

Hoc nimirum fuit controverſiæ totius caput, hæc diſſentiendi occaſio : nam cætera quæ in ea deliberatione acta ſunt, vocari jam non poſſunt in controuverſiam. (*Sequuntur quæ pertinent ad calculum annorum à creatione mundi.*)

De verbo *Xam-ti* quæſitum olim fuit liceretne illud adhibere ad verum unumque Deum appellandum. Erant ſanè argumenta utrinque probabilia ſatis, & qui nomen iſtud adhiberi debere cenſebant, Alphonſus Vagnoni, Julius Aleni, Didacus Pantoja, Rodericus Figueredo, eam erant inter Miſſionarios Sinenſes eruditionem adepti, liceat hoc bonâ reliquorum veniâ dicere, ut nemini cederent. Nihilominus P. Andreas Palmeiro viſitator, vetuit primùm in virtute ſanctæ obedientiæ, deinde ſtatuit antiquato præcepto, ſublatâque ſeveritate legis, vetuit tamen ne quis è noſtris, vocem illam *Xam-ti*, ſive in libris ſcribendis, ſive in orationibus, exhortationibuſque habendis ad populum, adhiberet. Adque id hactenus cautum eſt diligenter. Verùm quia R. Pater Antonius à Sancta Maria negotium nobis voluit ſuper eâ voce faceſſere, & revocato Patris Longobardi, quod ſuppreſſeramus, Patris Matthæi Riccii atque aliorum è Societate noſtra Miſſionariorum libros eo nomine reprehendit, quòd eam vocem *Xam-ti*, pro Dei nomine uſurpari poſſe deffenderent, quidam è noſtris ſibi faciendum eſſe cenſuerunt, ut librorum Sinenſium adducto teſtimonio, verum Deum eâ voce appellari poſſe comprobarent.

Quod ſpectat ad ſolemniores cæremonias

adhiberi ſolitas in aula quæ Confucii dicitur, ut vel leviſſimum ſuperſtitionis periculum ſpeciemque fugiamus, ſervavimus ea quæ ſervata à Patribus noſtris accepimus, ut earum uſu prorsùs interdiceremus Chriſtianis, vetaremuſque etiam ne iis intereſſent.

Denique quod ex congreſſu habito in urbe *ham-ctheou*, Paternitas veſtra refert de quibuſdam catechiſmi verbis paulò fuſiùs explicandis apud Cathecumenos, paremus iis, quæ Sacra Congregatio reſpondit ad dubium decimum tertium P. Joannis Baptiſtæ de Morales, in hæc verba.

Tertiodecimo quæritur utrum Catechumenis paratis jam ab baptiſmum ſuſcipiendum debeamus miniſtri declarare & apertè & in ſingulari docere eſſe illicita ſacrificia, & omnia ſupradicta, quamvis ex hoc ſequantur inconvenientia, ſcilicet deſiſtere à ſuſceptione Baptiſmi, perſecutiones, mors, vel exilium Miniſtrorum Evangelicorum ?

Cenſuerunt Miniſtros Evangelicos teneri docere ſacrificia omnia præterquam ſoli Deo, eſſe illicita; cultum dæmonum & Idolorum eſſe relinquendum, & quæcunque ejuſmodi cultum concernunt, cenſuerunt eſſe falſa, & fidei Chriſtianæ repugnantia; ad ſingularia verò deſcendendum, prout in Catechumenis ingenii promptitudo, aut ruditas exiget, aliiſque circunſtantiis, conſuetudinibus, ac periculis perſpectis. Cantoni 3. Octobris anni 1669.

Paternitatis veſtræ ſervus humillimus Ant. de Govea.

DECLARATIO REVERENDI Patris Dominici à Sancto Petro vulgò Sarpetri de præcedenti R. P. Navarette Præpositi sui scripto, data Patri Ant. de Govea Soc. JESU *in Sinarum Imperio Vice-Provinciali. Latina facta ex Hispanica.*

REVERENDE PATER.

ACcepi cum ingenti gaudio, sensuque pietatis R. Patrem Navarettam Superiorem meum de iis controversiis de quibus inter nos actum est,& benè jam sentire, & sanctè, præclarèque statuisse; Quamquam enim ille non retulerit ad me quod nuper decrevit sive meam nimiam fortasse illius rei cognoscendæ cupiditatem, studiumque compescere voluit, sive aliud sapienter est secutus, quod equidem quale sit ignoro; illud mihi satis est ad solatium, quod eam epistolam, te ostendente, legerim quam ipse scripsit etiam apposito nomine. Profiteor itaque, & promitto coram Deo & Jesu Christo Paternitati vestræ & cæteris Patribus me servaturum ea diligenter quæ Præpositus ille meus, eo scripto pollicetur, tum quia sic eum velle intelligo, simulque R. Patrem vice-Provincialem qui professus est illud se ratum habiturum esse quod P. Navarette statueret, tum quia id mihi persuasi, plurimùm id valere ad sanctissi-

mæ fidei nostræ propagationem, ad firmandam inter Missionarios ex utroque Ordine concordiam, atque ad ea tollenda scandala, quæ ex praxi contrariâ nata sunt, tum quia praxim hanc, & rectissimam esse, ex rationis meæ ac conscientiæ sensu judico & intelligo consentaneam esse vel Capitulorum nostrorum generalium decretis, vel epistolæ quæ est typis edita R. P. nostri Generalis ad Missionarios Sinenses, vel consiliis ac mandatis R. P. Franscisci à Paula Commissarii sancti Officii qui tum Provinciam nostram administrabat, vel iis quæ ex majori suffragiorum numero statuta sunt in congressu habito in urbe *Lan-Ki* inter omnes quotquot eramus in Sinis ex Ordine sancti Dominici Missionarios, tum denique quia rem illam & expetivi summoperé, & enixè postulavi scriptis litteris ad R. P. Generalem nostrum & ad Eminentissimos Cardinales de Propaganda fide. Actum in hac domo in urbe *coüan-chéou-fou*. Die Octobris 4. an. 1669.

Fr. Dominicus Maria de sancto Petro.



QUÆSITA
A MISSIONARIIS
TUNKINENSIBUS
DE CULTU CONFUCII,

CUM RESPONSIONIBUS R. Patris de Paz ex Ordine Sancti Dominici.

1°. NOn desunt etiam in hoc regno templa dedicata Confucio, [a] cujus templum, domum sanctam, vel domum sancti vocant. In his ergo omnes litterati, ac laureati bis aut ter in anno debent convenire. In his etiam ipsi Confucio offeruntur sacrificia, ad modum, quo Romæ anno 45. à R. P. Joanne Baprista de Morales fuit propositum. Quæritur an liceat fidelibus litteratis concurrere ad hanc functionem, non assistendo sacrificio, cùm peragitur, sed ut peracto sacrificio se prosternant, & absque illo prorsus errore Confucium venerentur ut magistrum?

Ad primum respondetur, [b] quod finito sacrificio, quod fit Confucio, cui litterati Christiani non assistunt, licet eisdem litteratis simul concurrere cum cæteris litteratis infidelibus, & reverentiam exhibere Confucio, pro-

a *fol.* 197. b *fol.* 198.

ſtratione ante ipſum factâ, dum tamen nihil ſperent, vel petant ab eo, & faciant ibi publicam proteſtationem, quod illum venerantur præcisè ut magiſtrum in animi grati ſignum doctrinæ ab ipſo acceptæ, & quod nihil ab eo ſperant accipere neque credunt ipſum habere divinitatem aut poteſtatem tribuendi bonum aliquod. Antequam hæc reſolutio ratione oſtendatur, advertendum eſt, quod ſi Confucius in regno Tunkini communiter ut Deus haberetur, aut ut idolum, aut potens hominibus auxilium aliáque bona præſtare, neutiquam eſſet licitum reverentiam aliquam ei exhibere; quia quælibet veneratio aut reverentia ei à Chriſtiano exhibita eſſet approbatio quædam divinitatis, ei à gentilibus attributæ; omnis enim reverentia quæ exhibetur ei, qui ut Deus in eodem regno communiter colitur, præſumitur divinitatis titulo facta. At certum exiſtimo quod in regno Tunkini Confucius non colitur ut Deus communi gentilium acceptatione. Hanc aſſertionem colligo ex eo quod in Regno Sinæ in quo floruit Confucius, ejuſque doctrina in majori fuit, ac eſt, veneratione, & ex quo ad Tunkinum regnum, aliáſque vicinas Provincias emanavit, non attribuitur Confucio divinitas, aut poteſtas aliqua ſuperior, communi hominum, ibi habitantium, exiſtimatione. Hoc mihi conſtat ex variis relationibus Religioſorum noſtri Ordinis, in Regno Sinæ aſſiſtentium.

In primis referunt, quod Chriſtianos facientes proteſtationem coram gentilibus, quod

non credunt in Confucio divinitatem, aut potestatem aliquam, sed illum præcisè venerantur ut magistrum, audiunt Gentiles sine indignatione. Si in Regno Sinæ communiter existimaretur, [a] Confucium habere divinitatem aut potestatem, humana superiorem ad eis auxiliandum, absque dubio Gentilium perturbatio oriretur, ex eo quod in publico hujusmodi potestas vel divinitas denegaretur Confucio, sicut contigit Ephesi; cùm enim audissent Gentiles Divi Pauli doctrinam, negantis, esse veros Deos, quos gentiles venerabantur, tota civitas irâ, ac indignatione ferbuit. *Act.* 19. *Repleti sunt irâ, & exclamaverunt, dicentes: Magna Diana Ephesiorum.* Si Gentiles Sinæ ut Deum haberent Confucium, vel ab eo bona, vel auxilium sperarent, credibile non est, ut ita patienter ferrent, ut coram eis ei divinitas, omnisque potestas denegaretur. Hæc ratio efficacior redditur, si attendatur, quod Sinæ Christiani regulariter non audent negare Confucio reverentiam, quæ ei tanquam magistro exhibetur, timentes murmurationem & indignationem Gentilium, & ne forsan ob hanc causam eis gradus denegetur, & non timent ei denegare divinitatem, omnemque potestatem ad auxiliandum eis. Hæc enim ratio urgenter probat, quod in regno Sinarum, vel lege regni vel generali acceptatione exhibetur Confucio reverentia, tanquam magistro, quam omittere nequeunt absque gravi notâ animi ingrati ac inobedientiæ legibus regni. Et simi-

[a] *fol.* 199.

liter

liter ostendit, quod nec communi acceptatione, nec lege Regni datur Confucio cultus religiosus, neque divinitas, neque potestas aliqua ei attribuitur. Deinde referunt nostri Religiosi in prædicto Sinæ Regno habitantes, quod cùm quidam Christianus coram pluribus infidelibus protestationem fecisset, se reverentiam exhibere Confucio præcisè ut magistro, nullamque agnoscere in eo divinitatem aut potestatem, infideles protestatione Christiani ad risum excitati, dixerunt: *Forsan aliquis nostrum Deum existimat Confucium, aut in eo potestatem hominibus auxiliandi fatetur? Homo fuit similis nobis, & illum ut magistrum veneramur ob excellentem doctrinam ab eo nobis relictam.* Etiam referunt prædicti Religiosi, quod Christianus literatus, non assistens ad faciendam reverentiam consuetam coram Confucio, reputatur à Gentilibus, non ut irreligiosus, neque ut infidelis Sinicæ sectæ, sed ut suo ingratus magistro. Huic additur fundamento quod infideles literati Sinæ sunt Atheistæ, existimantes, nullam rem esse, nullamque aliam potestatem præter id quod oculis videtur corporeis, sicut olim dicebant Saducæi Act. 23. *Saducai enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum.* Cum hac credulitate compati nequit, quod simul credant, Confucium jam mortuum, vel ejus spiritum habere potestatem illis auxiliandi, vel quod sperent, se aliquid accepturos ab eo: at qui specialiter Confucium venerantur, templumque ejus vel aulam ingrediuntur, prædictam reverentiam facturi, sunt ipsimet literati; hinc colligitur

M

quòd Confucius non est communiter ut Deus in Regno Sinæ acceptatus, neque ei potestas aliqua attribuitur; si quidem illi, ad quos pertinet eum venerari, in eo non agnoscunt divinitatem, aut aliquam potestatem. Atque hic Reverendus Pater Pazius objicit sibi quod fuerat in objectione positum, nempe sua esse Confucio templa, ipsi offerri sacrificia, unde consequens sit Confucium idolum esse, nec licere proinde Christianis ipsum ullâ prostratione, aut alio cultu externo venerari. Duplex erat hujus difficultatis solvendæ ratio.

Prima si dicatur, satis ex his quæ suprà sunt allata manifestum fieri Confucium idolum non esse; ac proinde neque locum eum in quo solus colitur, templum, neque cibos ipsi appositos sacrificium verè dici debere: altera etiamsi contrarium constaret, tamen infidelium superstitionem obesse Christiano non debere, qui nullatenus est ejus particeps, imò qui eam sibi non placere seque alienissimum esse ab ea profitetur, neque impedire quominùs ille Christianus venerari Confucium ex gentis suæ ritu possit, atque erga illum eo munere perfungi, quod totum in civili cultu ac politico positum est.

Quamquam pronum videbatur primam illam responsionem adhibere, præcipuè iis jam positis quæ Pazius antè probaverat, non aliam tamen hic adhibuit, quam secundam: quod ideò fecisse credi potest; ne illud inficiaretur, quod erat à quærentibus positum.

Itaque iis hoc assentitur & concedit, cibos atque alia quæ Confucio apponuntur sacri-

ficium dici debere, quod quidem ita probat offerri non licere ut tamen nihil velit inde contra solutionem suam deduci, sed ipsum audiamus.

Quamvis [a] infideles literati prædicta sacrificia Confucio faciant, non illum existimant esse Deum, ut sacri Evangelii Ministri, qui in Regno Sinæ assistunt, communiter asserunt, videlicet, literatos infideles Atheistas esse, nullamque agnoscere Deitatem aut potestatem in Confucio; quamvis neque in idolis, neque in Confucio credant asse aliquid divinitatis.... Dicentes quod Confucius homo fuit, sicut cæteri homines, qui jam defunctus omni caret facultate....

Deinde constat, quod illa reverentia, quæ fit Confucio ab illis qui gradum accipiunt, non excedit ex natura sua limites reverentiæ politicæ. Et quidem, si eam facientes, protestatione fidei Catholicæ denegent ei aliam quamcumque venerationis causam, concedentes ei reverentiam, [b] quæ ei debetur ut magistro, Infideles non contradicunt, quin potius protestationem approbare solent; ergo reverentia politica, quæ exhibetur Confucio, fixa & stabilis apud omnes habetur; superstitiosa verò, quâ sacrificia offeruntur, ficta, accessoria, atque instabilis est. Ex quo ulteriùs colligitur, quod sacrificia, preces, & similia ad Confucium, superstitiosa sunt & mala, fictèque addita. At reverentiæ, quæ tanquam magistro exhibentur, politicæ, & potest Christianus literatus eas facere, factâ

a *fol.* 202. b *fol.* 203.

prædictâ protestatione. Et hoc est valdè conforme determinationi sacræ Congregationis sanctæ Inquisitionis Romanæ approbatæ ab Alex. VII. Decernitur ibi, posse permitti Christianis, ut cæremonias erga suos peragant defunctos simul cum infidelibus, ablatis tamen superstitiosis. Supponit ibi, cæremonias & actiones, quæ erga defunctos fiunt, esse ex se cultum politicum; eique accessisse introductione Gentilium aliquas superstitiones. Hoc enim proponebatur in quæsito, quod sic erat: *Num cæremoniæ, quæ sunt ex Philosophorum placitis circa defunctos, Christianis permitti possint, prohibendo quidquid superstitiosum accessit.* Et sacra Congregatio respondit, *posse tolerari; Sinas conversos adhibere dictas cæremonias erga suos defunctos, etiam cum Gentilibus, sublatis tamen superstitiosis.* Simili modo poterit permitti, ut faciant Christiani erga Confucium solitas cæremonias sublatis superstitiosis, quæ accesserunt. Et quidem superstitiosa, quæ circa Confucium fiunt, sunt sacrificia & preces, quamvis externæ tantùm sint; quibus sublatis, aliæ cæremoniæ, quæ cultum tantùm politicum indicant, Christianis permitti possunt.

Alia efficaciori ratione ostendi potest, quòd, non obstante quod infideles faciant sacrificia Confucio, potest esse licita reverentia, quæ ei tanquam magistro fieri solet, supposito quod in Regno non sit communis opinio, quòd Confucius aliquid numinis habeat. Hæc ratio fundatur in quadam sacræ Congregationis de Propaganda Fide determinatio-

ne approbata ab Innocentio X. Quæsitum 15. tunc sacræ Congregationi propositum sic habebat: *In multis templis idolorum illius Regni invenitur una tabella deaurata, & collocata super unam mensam, vel altare, & omnibus ornamentis candelarum, rosarum, odoramentorum munita & ornata, qua in tabula scriptum est:* Vivat Rex Sinarum ad multa annorum millia *& ante præfatam tabellam mos est inter illos idololatras sacrificare bis vel ter in anno, & facere genuflexiones in honorem & reverentiam illius. Quæritur, si Ministri Christi Domini possimus in nostris Ecclesiis collocare hujusmodi altare cum tabella & circumstantiis prædictis, & hoc ante altare, ubi Sacerdotes Dei sacrificant oblationem immaculatam?* Et respondit sacra Congregatio: *Exclusis sacrificiis, & altari verè, & propriè dicto, cætera quæ redolent tantummodò cultum civilem, aut possunt ad illum reduci, permitti posse.*

Notari hìc oportet quod cultus, qui ex priori gentilium intentione prædictæ tabellæ exhibebatur, politicus est; si quidem ordinatur ad Regis vivi honorem & diuturna ejus vita desideratur. Et quamvis sacræ Congregationi propositum fuit in quæsito, quòd Gentiles faciunt prædictæ tabellæ, sacrificia illicita & superstitiosa, annuit, posse permitti, ut cultum seu reverentiam exhibeant hujusmodi tabellæ, dummodo sacrificia non agant, neque in altari verè & propriè dicto collocent.

Ex quo infertur, quòd cultus, qui datur Confucio tanquam magistro per exhibitionem reverentiæ, potest Christianis permitti, cùm politicus ex natura sua sit, seu ad poli-

ticum reduci possit : & ex eo quod Gentiles ei offerant sacrificia, non censentur impediti Christiani à cultu politico Confucio exhibendo: Et quidem sacrificia accessoria ab infidelibus addita, non constituunt in ratione templi, vel altaris domum vel mensam in quibus offeruntur; quia cùm dicta sacrificia addita sint accidentaliter cultui politico more Gentilium, qui omnibus actionibus miscent superstitiones, inde est quod cultum politicum non impediunt, neque rationem templi, & altaris verè & propriè aut absolutè constituunt, sed fictè & respectu illius sacrificii, quod tunc superaddunt cultui politico.


FINIS.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA

ILLUSTRISSIMI DOMINI

GREGORII LOPEZ



AD

R. P. PHILIPPUM COUPLET

Societatis JESU Procuratorem Sinarum tunc Romæ degentem.

QUamquam & locorum distantia me plurimùm à R. V. Paternitate disjungit, & perdiu est, ex quo suavi ipsius & gratâ consuetudine frui non licuit; non potest tamen animus cum eâ sæpè non adesse. Et verò Pat. Vª me proximum faciunt vincula charitatis illius quâ me complecti jam dudum & fovere dignata est. Ac cœteris quidem in rebus longè me imparem atque inferiorem esse sentio, sed amorem certè amore compensabo. Quare obsecro ut quoniam id unum jam possum, levem hanc memoris animi testificationem ultrò recipiat. Erit mihi perjucundum & summi solatii loco, si Paternitatem vestram cognovero & sine ullo incommodo iter confecisse & pervenisse feliciter eò quò

est delegata, & res eas, quas expetebat fuisse consecutam.

Ac licet indignus ego sim, cujus precibus id tribuat Deus O. M. Tamen ut flagitem facit & mei ipsius cura & ratio mihi impositi muneris, & patriæ meæ charitas, multò autem magis ardor ille qui me R. P. vestræ conjungit, meque cum ipsa cor unum efficit.

Nuper accepi à Sacrâ Congregatione admissam non fuisse renunciationem meam. Quare quamquam jam & ipsâ ætate confectus & omni ex parte muneri tanto impar, Divinâ ope fretus & merito obedientiæ, & tot Missionariorum auxilio, quorum laboribus excolitur hæc Domini vinea, humerum oneri subjeci & ad iter me accinxi; Neque aliam ob rem jam in urbe Cantoniensi commoror, nisi ut hinc in urbem Manilam navigem, atque ibi sacro ritu inaugurer. Simul etiam ad viros peritos referam multa quæ me dubium ac sollicitum habent, & aliquid si possum, eleemosynæ nomine ad victum vestitumque meum corrogabo: Neque enim ignorat R. P. vestra nihil mihi esse vel à civibus meis vel ulla alia in re præsidii.

Postquam fuero inauguratus, atque in possessionem, ut fit, venero, decrevi Missionarios cogere in concilium, quò puncta controversa iterùm discutiantur, atque ego deinde quam diligentissimè fieri poterit, & ex omnium suffragiis, referam prout debeo, ad sanctam sedem Apostolicam at-

que ad Sacram Congregationem, atque ego quidem eam ob rem jam ab anno & amplius libros litterasque Sinicas summâ curâ & labore versare & scrutari non desino, textus excerpo, puncta ipsa confero ut clarius ac certiùs conficere possim informationes, atque in eo de quo dixi, concilio deliberare. Ita futurum spero ut id statuatur ac decernatur quod maximè erit opportunum ad Prædicationis Evangelicæ praxim, quam uniformiter ab omnibus servari perquam necesse est. Quidquid autem effecero dabo operam ut Rª Vª Ptⁱ innotescat, quam Deo juvante spero ad nos adjuvandos huc brevi redituram. Id unum postulo ut multos secum adducat operarios, eosque & zeli ferventis & multæ doctrinæ, qui huic Domini vineæ jam amplæ labores suos impendant. Et quamquam non dubito quin id Vª Rª Paternitati summæ curæ sit, tamen patriæ meæ charitas facit ut illud eò magis urgeam, quod video plurimos operarios ob immensum laborem hic quasi paucissimos fore.

Hoc anno 1682. in urbe Fōgañ, quæ mihi natalis est, orta est persecutio, quæ à levibus initiis profecta potuit grassari longiùs, atque ad omnes trium familiarum Religiosos pertinere: verùm sedata demum est, & plus utilitatis attulit quam damni. Egregiam in ea re navavit, operam Rus admodum Pater Dominicus Gabiani, vice-Provincialis Sinarum, qui tum erat in *fō cheū fù*; Neque parùm profue-

runt ad reducendam tranquillitatem litteræ Patris nostri Ferdinandi Verbiest ad novum Proregem. Ita extinctus est ille ignis qui fortasse missione tota conflagrasset. Pro eo munere ac beneficio non modò per litteras gratias egi ut debui, prædictis patribus; sed etiam R. P. Væ ago habeoque maximas. Neque me afficit tantum illud quod ad me spectat, sed etiam quod eo quasi novo vinculo spero firmam ac stabilem fore pacem & charitatem mutuam inter familias tres Religiosas, ad quas Missionis hujus amplificandæ cura pertinet. Jam nihil aliud occurrit, nisi ut R. P. Vam obsecrem mei ut sit memor in suis Sacrificiis & orationibus. Deus te R. Pater mihi servet incolumem, atque hùc reducem feliciter ac lætum videre largiatur. Cantoni Die 10. Novembris anni 1682. Paternitatis Vestræ admodum Reverendæ Servus atque amicus observantissimus.

Fr. Gregorius Lopez.



EX EPISTOLA
D. GREGORII LOPEZ

Electi Episcopi Basilitani ad Reverendum admodum Patrem Magistrum Generalem Sacri Ordinis Dominicanorum, Latinâ factâ, scriptâ Hispanicè.

EA re constituta (*debere nimirum ipsum oblatam sibi Episcopi & Apostolici Vicarii dignitatem admittere*) visum est primùm in id incumbendum esse, ut iniretur pax & concordia, animorumque consensio inter Societatis Jesu & Ordinis Nostri Missionarios, super controversiis & scriptis, mittendisque ad Curiam Romanam informationibus, de iis quæ dicuntur Sinensium Doctorum, progenitorumque templa. Placuit igitur eos, ex ordine utroque Missionarios qui diutiùs in Sinis egissent, ac me potissimum & origine Sinensem, & provectum ætate & per annos 40. in his Missionibus exercitatum, & caracterum Sinensium librorumque, quos vocant Classicos, & harum omnium rerum peritiâ atque usu probatum, scribere separatim informationes nostras, & manifesta, ut scilicet haberi posset, quid esset in iis rebus certissimum ex omnium consensu-

quod ubi mea ſubſcriptione firmaſſem, res tota deferretur ad Sanctitatem ſuam, quæ ſtatueret quid potiſſimum ſequi deberemus, atque ita finis imponeretur his diſputationibus quæ non ſine ingenti ſcandalo & animarum plurimarum damno, graſſabantur. Atque ut id exequerer quod ſtatutum fuerat, ego hunc in me laborem ſuſcepi, & rem tantam eò diligentiùs tractandam mihi eſſe duxi, quò propiùs ad me pertineret, cui curam aliorum eſſe creditam intelligerem. Verùm aliqui Religioſi Noſtri Ordinis, nuper ex Europa, ad hanc Miſſionem advecti, juvenes ſcilicet atque imperiti, nullo uſu rerum, nullâ hujus linguæ ſcientiâ, quâ ne nunc quidem loqui didicêre, libros verò claſſicos legere atque intelligere multò minùs, unde illius linguæ addiſcendæ labore ac difficultate deterriti, alius ex hac Miſſione diſcedendi concilium cœpit, alter etiam diſceſſit. Igitur illi ubi cognovêre, me in aliquibus alienum eſſe ab iis quæ aliqui ex noſtro Ordine cenſuerant, & ſcriptis etiam libris ediderunt, quamquàm ad id ſolo veritatis amore fuerim inductus, nihilque propoſuerim, quod non & rationibus firmis probaverim & uſu ac conſuetudine & claſſicorum autoritate librorum, & earum rerum narratione, quæ in luce publica atque omnium oculis erant geſtæ, &c.



EPISTOLA

D. GREGORII LOPEZ Episcopi Basilitani Vicarii Apostolici per Sinas ad S. D. N. Innocentium XI. Latinè Scripta.

SANCTISSIME PATER.

JAm dudum Sanctitatem Vestram, anno nempè præterito, certiorem feci, quatenùs acceptis Apostolicis mandatis, ad Episcopatum Basilitanum & Vicariatum Sinarum Apostolicum pertinentibus, licet imbecillis, senior & tanto muneri impar, obedientiæ succubueram jugo, & quâ fretus causâ, in hanc Manilensem civitatem devenissem, ut in Siamum, ubi de meâ consecratione agi debet, proficiscerer, & quem obicem invenissem apud Auditores hujus Regiæ Prætoriæ Philippinarum. Post autem his superatis, auspice Deo, fortiùs contra me apud Religiosos Ordinis mei expertus fui obstaculum: Frater enim Antonius Calderon hujus meæ Provinciæ SS.Rosarii Provincialis acri contra me percitus œstro, eo quod existimet me dissentiri aliquibus P. P. Ordinis mei opinionibus, circa controversias quæ in Sinis continuò discutiuntur, & in Curiâ hac disputantur, meque suffragari aliis opinionibus Missionariorum So-

cietatis Jesu (circa quod latè diffusèque notitiam impertior Emin. Card. S. Congreg. de propaganda fide, & iidem S. V^æ referent.) Hanc ob rem præfatus Provincialis verbis me indecoris affecit, & meum in Sinas reditum huc usque frustravit; me quasi vinctum detinens, in quodam Ordinis mei Conventu, à quo clam evadens in hunc confugi Ordinis Eremitarum Sancti Patris Augustini. Mihi insuper fuerat comminatus; præfatus Ordinis mei Provincialis, si alieno fretus auxilio in Sinas conarer reverti, exuendum me priùs fore ab illo habitu meæ Religionis & simul à se revocandos esse Manilam omnes Religiosos Missionarios mei Ordinis in Sinis degentes; idcirco humiliter Sanctitatem vestram supplex exoro, ut de me provideat quatenùs ei visum fuerit ad majorem Dei & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gloriam, & obsequium. Vale incolumis, Sanctissime Pater; in Jugi Fœlicitate Manilæ X. Kal. Junii 1684.

SANCTISSIME PATER

Sanctitatis Vestræ Opt. Max.

Humiliter Sacris pedibus Provolutus Fr. Gregorius Lopez Episcopus Basilitanus, Vicarius Apostolicus Nanchinensis & Coreensis.

EPISTOLA



EPISTOLA

EJUSDEM D. GREGORII LOPEZ Episcopi Basilitani &c. ad Eminentissimos Cardinales sacræ Congregationis de propaganda Fide, latinè scripta.

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini S. R. P. Cardinales Sacræ Congregationis de propaganda Fide.

GRave nimis & imbellibus meis humeris procul dubio impar onus, quod Sanctissimus D. N. Innocentius XI. mihi ineptissimo committere dignatus est, me licet indignum in Episcopale fastigium Basilitanæ Ecclesiæ exaltans, simul cum Apostolico Vicariatu sex opulentiorum, & præcipuarum imperij Sinici regionum nempe Nankin, Pekin, Xamsi, Xiensi, Honang, Xantung, cum vastissimo Regno magnæ Coreæ; quorum Apostolicas has patentes Romæ denuò expeditas anno M. DC. LXXIX. die 12. mensis octobris, apud Sinas suscepi sub mense decembri anni M. DC. LXXXI. per manus D. Illustrissimi D. Ludovici Laneau Episcopi Metellopolitani & Vicarii Apostolici Nankin, & Siam, ardenter me æstuat & compellit ut Reverendissimis Vestris Eminentiis exactam impertiar notitiam de meo

omni qualicumque eventu, & de cæteris omnibus quæ mihi acciderunt, ex insidiis Satanæ & spoliatoris Zabulon maximè dolentis opimam utique prædam apud Sinas è faucibus eripi, quibus jam dolet apropinquare regnum Dei.

Acceptis jam prædictis litteris Apostolicis & consistorialibus, in quibus Sanctissimus Dominus & Pater D. Papa enixiùs mihi injungit & præcipit, ut talibus nequaquam renuntiem dignitatibus imò acriter urgens, & comminans me rationem Deo redditurum de omni eventu & detrimento Sinicis animabus ob meam renitentiam emersuris, humiliter cœcâ fretus obedientiâ succubui oneri, in Domino confidens multiplici virium panopliâ, & sedium suarum assistrice sapientiâ me muniendum fore, ut talibus valerem armis cataphractus in Sinas prodire, aëreas potestates & diabolicas phalanges debellaturus. Quapropter omnes supradictas litteras, imprimis exhibui ante meum Ordinarium Præsulem, scilicet Vicarium Præsulem apud Sinas Provinciæ meæ Sancti Rosarii insularum Philippinarum Patrem Fratrem Petrum de Alarcon, qui consilio inito Patrum Religiosorum Ordinis magis propinquorum, & ob itinerum diuturnitatem consultis per litteras absentibus, visisque diplomatibus Apostolicis unà cum mandato Reverendissimi P. Fr. Joannis Thomæ de Roccaberti mei Prædicatorum Ordinis Magistri Generalis præcipientis P. Provinciali prædictæ Provinciæ Sancti Ro-

sarii ; quod mihi Socium assignet Doctum & Theologum, congruumque stipendium pro utriusque alimonia constituat, omnes unanimiter mihi Suffragantes cum præ dicto Patre Vice-Provinciali, in meum reliquerunt arbitrium, acceptationem Episcopatus. Acceptavi utique hoc importabile onus, quod maximè gravatum est super me : & iisdem comitiis, Patres Congregati constituerunt ut illicò proficiscerer in civitatem Manilensem. Procinctus itineri, licet eâ parcimoniâ & tenuitate, quæ pauperioribus Missionariis esse solet, deveni per Provinciam Canton in Macaum urbem ditioni Lusitanæ subjectam, & unicam portam in Sinarum Imperium, in quâ necesse fuit occultum me manere, & clam habitu Sinico cum aliis Sinis Mercatoribus navem ascendere : nunciatum enim mihi fuerat noviter ex Goâ Orientalis Indiæ Metropoli urgens advenisse mandatum Proregis Lusitanorum, ut si forte aliqui Episcopi, vel Vicarii Apostolici ab hac Sacra Congregatione de Propaganda Fide, & maximé in Sinas demandati, Macaum appulerint, protinùs apprehenderentur & transportarentur in Goam. Quapropter cùm impossibilis tunc mihi aditus in Siamum pateret, ubi circa meam consecrationem agi debebatur, nactus occasionem Manilam accedendi, unà cum Patre Fr. Petro de Alarcon, qui relictis sibi commissis Religiosis quibus præerat apud Sinas, se mihi Socium obtulit, in loco P.Fr. Francisci Lopez Socii mei nuper

defuncti, simulans meum obsequium Manilæ peracturum, in navem ascendi illuc appulsuram. Tandem jam fruitus Manilano littore, ab omnibus tam Ecclesiasticis quàm Sæcularibus unanimi applausu susceptus fui, & honoratus, & magnis favoribus prosecutus; & meam destinavi mansionem in quodam conventu mei Ordinis extra muros Manilæ in pago mercatorum Sinarum, quod ab Hispanis Parjan nuncupatur. Ex tunc autem PræfatusPater Fr. Petrus de Alarcon qui ut me perderet è Sinis comitatus fuerat, extendere contra me cœpit funiculum insidiarum suarum diabolicum, superseminans zizaniam ut Filios Matris meæ Provinciæ Sancti Rosarii meos adversarios constitueret, & cunctis viribus moliebatur, ut Manilæ detinerer, & ut consecratio mea & meus præcipuè in Sinas reditus in perpetuum differretur. Scripsit super hæc prædictus P. Fr. Petrus de Alarcon Patri Provinciali hujus Provinciæ Sancti Rosarii Fr. Antonio Calderon, objiciens in me quòd Patribus Societatis JESU in Sinis essem affectus, & assentirem eorumdem Patrum aliquibus opinionibus & judiciis circa controversias, cultus, Politicæ, Religionis, & Idololatriæ, Sectarumque litteratorum, æstimantes inani cenodoxiâ, dedecus, & detrimentum esse meo Ordini me Sinam genere & consequenter eruditiorem illis caracteribus & idiomate & in libris Sinarum classicis expeditiorem cunctis Europæis, callentem, & Enucleantem,

immensum caracterum pelagus, & genuinam, & eorum hieroglyphicam significationem magis penetrantem extra eorum chorum psallere, & in multis Patrum Societatis JESU opinioni suffragari, cùm amicior Platone debeat esse veritas, cupientes me Septuagenarium veteranumque Sinicæ Missionis ministrum similibus controversiis per annos quadraginta versatum, Tyronum sequi doctrinas & quasi vento circumagi & non animarum augmentum tantummodò quærere. Forsitan illos ad hoc impulerat libellus controversiarum nuper à me expeditus, mei Prælati semel atque iterùm præcepto editus, in quo satis dispallescere studui, prædictos PP. Missionarios mei Ordinis in multis torquere & exterminare sensus characterum sapientiæ Sinicæ, sensu litterali & translatione seipsos & alios inaniter seducentes, & in abyssum lubricarum ambagum se implicantes, & similiter in multis aliis dissentio opinionibus Patrum Societ. JESU, studens & insudans, ut utriusque Religionis Patrum opiniones concordarem & in luculentam redigerem consonantiam, ut succedentia scandala de gregis Dominici medio tollerem, & unanimi doctrina ad Amussim hærentes, nos utique exhiberemus in conspectu gentium sicut Dei ministros & fideles dispensatores multiformis gratiæ suæ. Hoc tantæ contra me inimicitiæ fomitem ministravit, ut me Religiosi mei Ordinis detraherent, & velut Ethnicum &

Publicanum detestarentur, molientes contra me & supplantationem meditantes.

Post autem Manilam venit P. Provincialis adhuc spirans minarum, & exacerbationum in me, & cùm primùm eum visendi causâ adfuissem, indecorosis contumeliosisque verbis, magno imperio, & mecum personaliter alloquens, me quasi subditum & lethali crimine noxium & reum objurgavit, corripuit, & exprobavit; imprimis me interrogans quare absque sua licentia Episcopatum susceperim? Quare pileo clericali & viridi galero Episcopalibus insigniis uterer? Ad primum respondi me SS. D. N. Papæ & Reverendissimi P. Magistr Generalis præceptis invitum; Episcopatum suscepisse: quibus ille addidit sequentem sententiam me scilicet minimè unquam in Sinas reversurum, non tantum quasi Episcopum, sed nec quasi particularem Missionarium; si autem alieno fretus auxilio in Sinas conarer reverti, me prius ab eo habitu Religionis exuendum fore, & insuper revocandos ab eo esse Religiosos omnes in Sinis Missionarios commorantes. Quibus auditis, dolenter obmutui; considerans jactam fuisse aleam meæ perditionis, & me contemplans alienigenam, senem, pauperrimum; & omni destitutum auxilio, alienum fratribus meis qui desiderabant supplantare gressus meos; impedientes & parvi pendentes Litteras Apostolicas & mandata R. P. Magistri Generalis Ordinis mei, reposui, m spemmea

in Domino & licet detentus, & invitus manere decrevi in prædicta civitate Manilenſi, ex qua jam dudum de iis omnibus SS. D.N. Papæ & veſtris Eminentiis litteras direxi tam per novam Hiſpaniam quàm per Siamum, per manus Reverendiſſimorum Epiſcoporum Heliopolitani, Metellopolitani, & Argolitani, conferens præſentes æſtus meos & labores ut SS. D. N. & Eminentiæ veſtræ de me deſolatiſſimo prout eis viſum fuerit providere dignentur.

Inſuper autem patienter ferens exterminium & violentam captivitatem meam, manens in prædicto conventu *deparjan*, adhuc expectavi, an fortaſſe comitiis Congregationis intermediæ dictæ meæ provinciæ denſæ meæ deſolationis tenebræ clareſcerent. Sed proh dolor! una ſola mihi cuncta ſalus fuerat nullam ſperare ſalutem in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus: indurata quippe fuerant corda fratrum meorum celebratâ enim intermediâ Congregatione, ſub die 22. aprilis labentis anni 1684. violentiùs in me moliri videbatur, magiſque bacchari, timui tribulationem, tempeſtatem. Judicia enim habui probabilia, actum fuiſſe à Patribus Congregationis, me in remotiorem hujus Manilanæ inſulæ ſeptentrionalem regionem (quæ Cagayan) ab illis eſſe relegandum exulemque ire impotem humani auxilii omnique ſolatio & ſpe præcipuè in Sinas revertendi deſtitutum, ut tædio ſenioque conſumptus diem obirem, & quem inimicum meæ religionis temerè

arbitrabantur, de medio tollerent, nec occulta mihi fuit hæc crudelis Patrum sententia: quamobrem præcepto D. N. Salvatoris inhærens delitescere constitui, & nactus ocasionem, evanui ab oculis eorum & sub præsidium & tutelam Doctoris D. Didaci Calderon & Serrano confugi, qui nunc temporis primus Auditor est hujus Manilanæ Prætoriæ Audientiæ Catholici Regis Hispaniarum, à quo benignè susceptus & consolatus, reque meâ in Audientia cum sociis coajutoribus peractâ in hunc almum conventum sancti Pauli Manilensis Ordinis PP. Eremitarum S. P. N. Augustini depositus & asservandus traditus fui, in quo continuis horum piorum Patrum favoribus, quoad usque meus in Sinas reditus disponatur, seu prope diem expecto minimè differetur auxiliantibus ad hoc exequendum Patribus Provincialibus Religionum & maxime P. Provinciali Ordinis sancti Augustini F. Josepho Duque qui præcipuè me in hac expeditione adjuvat. Valete in æternam fœlicitatem Illustrissimi Patres uti desidero & S. R. E. interest. Manilæ III. Idus Junij M. D C. LXXXIV.

EMINENTISSIMI DOMINI

Vestrarum Dominationum

Humilis & addictissimus servus
Frater GREGORIUS LOPEZ
Episcopus Basilitanus Vicarius
Apostolicus Nankin, & Corien.

EXPER

EXCERPTUM.

Ex tractatu Illustrissimi ac Reverendissimi D.D. Gregorii Lopez Ordinis Sancti Dominici, Episcopi Basilitani & Vicarii Apostolici Nankini & Coreæ.

Priusquam ea quæ ad rem nostram pertinent excerpam ex tractatu, quem vir ille ac tantus D. Gregorius Lopez in hujusmodi controversias edidit; existimavi consentaneum esse, eas hîc referre rationes, quibus nituntur ij, qui Sinensium cæremonias improbant. Contendunt nempè eas superstitionibus cultuque nefario referas esse, hisque maximè de causis.

1. Aiunt nomine *Ci* donatas esse solemnes illas cæremonias quæ in Confucii, majorumque memoriâ celebrari censuere. Porrò vocem *Ci* reddendam esse Sacrificii nomine.

2. Ritum illum, ante Confucii, majorumque tabulas, carnes animalium & serica offerendi, cereas candelas accendendi, urendi thura, demittendi ad terram capitis, verum esse Sacrificium, quod ipsis operatur.

3. Vocari *Miao* locum illum, in quo Confucio mortuisque honores hujusmodi exhibentur, nihilque aliud nisi templum hac voce adumbrari.

4. Præscribi in Ritualibus publicis certas preces, quibus indigenæ postulent à Confucio & majoribus concedi sibi secundam va-

letudinem, divitias, prosperum in susceptis rebus exitum, &c. Unde patet eos pro numinibus aut saltem pro Sanctis haberi.

5. Denique imbuisse Sinensium animos hanc opinionem, ut existiment Confucii, majorúmque animas, in iis tabulis, coram quibus peraguntur hæ ceremoniæ, præsentes adesse, quasi eò se hoc tempore sisterent.

Hæ sunt præcipuæ eorum rationes, qui negant eos, qui Confucio, mortuisque exhibentur honores, civilis esse tantùm obsequii ac meræ urbanitatis.

Verùm è tractatu quem hanc in rem scripsit D. Gregorius Lopez Basilitanus Episcopus quinque propositiones licet eruere, quibus eæ quas modò retuli rationes penitùs convellantur.

I. PROPOSITIO.

Vox *Ci* cùm idem sonet ac convivium, quo quis excipitur cum celebritatis aliquo apparatu, nullatenus probat solemnes cæremonias quæ in Confucii mortuorúmque honorem institutæ sunt, Sacrificium appellandas esse.

In Præfat. not. 1. Probat hanc propositionem Illustrissimus D. Gregorius Lopez sequentibus verbis.

„ Doctor celeberrimus *Chū vûen Kuñg* in „ suo libro seu rituali à se composito *Kiali* „ dicto ait quod Doctor *Kāōxi* refert quæ- „ dam verba alterius Doctoris *Ho hieū* nun-

cupati, declarantis quo tempore quibusque in oblationibus utendum sit voce ac literâ *Ci*. Sunt autem quæ sequuntur. *Yeu Seng yen Ci, vû Seng yve cien*. Et sensus eorum est; quod si in oblationibus offeruntur animalia, hujusmodi oblationes vocantur *Ci*. Sin autem, quod accidit in oblationibus minus solemnibus, dicuntur *Cien*.

Item in Rituali Sinico, cui titulus *Liki* tomo 2. *Kiven ul xe ù fang ki ty San xe*, Confucius ait. *Ka xe ly chu iin chin Kucy. Che ke ci, chu iin pochy*. Id est, Si Dominus domus invitans aliquem seu faciens convivium alicui personaliter serviat invitato dicti convivii tempore, aut ministret edenda, certè hujusmodi convivium (*ci*) acceptum erit invitato. Si verò invitans invitato personaliter ea non offerat vel ministret, absque dubio tale convivium non erit (*ci*) acceptum hospiti. Adeòque hîc acceptum aliquid habere seu delectari de aliquo dicitur *ci*.

Itaque ex suprà dictis colligitur ipsam vocem seu litteram *ci* nunc verbum nunc nomen agere. Dum autem verbum agit, nunc *offerre*, nunc *acceptare* significandi vim habere.

Item deducitur ipsam vocem seu literam *ci* in sua ratione formali indifferentem esse ad aliquid superstitiosum vel non superstitiosum significandum. Unde non bene explicabitur si dicatur quod *ci* significet tantummodò *Sacrificare*. Prout verum

„ non esset dicere quod eadem litera *ci* „ numquam accipiatur ad significandum ve- „ rum sacrificium.

„ Cum igitur in præsenti tractatu ipsam „ vocem *ci* benignè Lector, invenies, sub „ nomine *Sacrificii* vel ad *Sacrificare* signifi- „ candum acceptum, noli tibi suadere me „ certò sentire eodem in loco ipsum ejusmo- „ di significatum habere. Ego enim indiffe- „ renter hîc utor his terminis, *Sacrificare*, „ *offerre*; *Sacrificium*, *oblatio*, non magis huic „ inhærendo quam alter, nisi ipsa materia „ quæ pertractatur talis sit, ut ex ipsa ma- „ nifestè colligi possit, juxtà ea quæ suprà „ dixi, tunc significare verum sacrificium „ vel tantum offerre, politicamque oblatio- „ nem.

II. PROPOSITIO.

Quæcunque Confucio mortuisque offe- runtur, ea non sunt sacrificium, sed meræ urbanitatis officia.

Probat hanc propositionem Illustrissimus D. Gregorius Lopez sequentibus verbis.

In Præfat not. 3. „ Miraberis utique, pie Lector, eo ipso „ quod leges in hoc tractatu ritus & cære- „ monias, quibus Sinenses suos defunctos „ venerantur eisque serviunt, difficileque „ censebis eas ordinem sphæramque poli- „ ticarum ex suâ institutione non excedere, „ nisi hîc aliud notandum, ad te cautum „ reddendum inferendo judicium super his, „ præmittam.

Audies enim in dictis ritibus cæremo- “
niiſque celebrandis paſſim immolari car- “
nes tum coctas tum crudas, offerri vina, “
animalia occidi, redolere incenſa, odo- “
res varios cremari, muſica inſtrumenta “
reſonare, proſtrationes fieri, jejunia præ- “
mitti, quæ omnia prima facie ſuperſtitio- “
ſa & in ordine religioſi cultus numerari “
videntur. Quare ut nonniſi rectum judi- “
cium ferre poſſis, ſcito priùs te ritus Si- “
nicos, quibus ſe invicem Sinenſes, dum “
adhuc in hoc ſæculo degunt, excipiunt “
& honorant, noviſſe aliquantulùm eſſe. “
Ubi licet exceſſum reperias, politicum “
tamen quod agitur, exceptis perpaucis, “
eſſe, ſaltem ex inſtitutione, dices. “

Item ſcire te oportèt in legem tranſiſſe, “
omnibuſque Sinenſibus fuiſſe probatum “
ſequens Confucii dictum *ſú sù jû ſú ſeng*: “
ſú vuang jû ſú chûn. Hoc eſt, ſervien- “
dum eſt defunctis eo modo quo vivis. “
Quod bis repetitur diverſis verbis. “

Itaque notandum quartò quod moris “
eſt apud Sinas invitantem invitatis, præ- “
cipuè in conviviis ſolemnioribus, quoſ- “
dam cîbos delicatiores, vinum & *cha*, “
quæ eſt potio in Sinis uſitata, propriis “
manibus reverenterque offerre. Item in “
honorem hoſpitum animalia quædam oc- “
cidi & hoc juxta gradum ac dignitatem “
invitantis & hoſpitum, ut videre eſt in “
libris *liki*, conviviique tempore odores “
cremari, muſicam adhiberi, proſtationes “
verò inclinationeſque profundæ inter Si- “

„ nenſes honoris causâ communiter fiunt;
„ tùm inter æquales, tùm ab inferioribus
„ erga ſuperiores.

„ Et quamvis jejunia in honorem vivo-
„ rum non ſint, in uſu communiter, neque
„ lege præſcripta, non defuere tamen anti-
„ quitùs, qui dum Imperatori tributa ſol-
„ venda parabant, jejunia quædam præmit-
„ terent, in ejuſdem Imperatoris honorem.
„ His enim ritibus putaverunt Sinenſes uni-
„ tatem, concordiam ordinum, pacemque
„ facilius ſervari poſſe.

„ Nota quod antiquitùs dum adulti vivi
caput 5. num. 54. „ convivio ſe ſe excipiebant, panni ſerici pe-
„ tiam in diſco argenteo ſuper menſa col-
„ locabant, hoſpiti eam offerendo; ut ita
„ eum ad edendum bibendumve move-
„ rent. Quæ cauſa eſt hujus ritus etiam in
„ oblatione *ci* erga magiſtrum defunctum
„ frequentandi, ut id impleatur quod dici-
„ tur ſerviendum eſſe defunctis quaſi vive-
„ rent.

„ In *Lún jû* dicit Confucius ſeu *Kung fù*
caput 1. §. 4. num. 11. „ *chù*, *ci jû Chay*, id eſt, oblationem de-
„ functis faciendam eſſe tanquam ſi præ-
„ ſentes forent ſeu vivi. Hæc verba explicat
„ quidam Confucii diſcipulus dicens Ma-
„ giſtrum ſuum quando defunctis offerebat
„ id totâ pietate totoque ex corde factitaſſe,
„ utque ad eam pietatem ſe ſe excitaret,
„ ſolitum eſſe eos, tanquam præſentes vide-
„ ret aut eorum vocem audiret, ſibi ima-
„ ginari; & quia pridem jam defuncti erant,
„ eorum interdum memoriam revocabat.

In eodem exponit quâ pietate filii ho- " norare debeant parentes suos vivos, quâ- " que eos defunctos terræ mandare & se- " pultis oblationes seu *ci* facere juxta unius " cujusque dignitatem. " ibidem nu. 12.

In Libro *Liki* capite *tam kum* dicitur " homini vitâ functo nullas ultrà vires su- " peresse in ordine ad ritum: sed vivos seu " superstites ne ejus obliviscantur, ante- " quam cadaver humo obruatur, ei offer- " re res adinstar convivii valedictorii. Ca- " davere jam humo obruto iterùm ei alia " offerunt, nec unquam offerentes vide- " runt vitâ functum rediisse ad edenda ea " quæ ipsi oblata sunt. Interim ab antiquo " ad hæc usque tempora nunquam hæc offe- " rendi cæremonia interrupta est *ci* dicta ad " conservandam defunctorum memoriam. " Caput 1. §1..1.n.

Explicando hæc verba Doctor *Chîn ho* " sub imperio *sing chao*, inter alia dicit: " *Quis unquam vidit defunctum aliquem rediis-* " *se ad edenda sibi oblata? neque fit hæc obla-* " *tio nisi ad declarandam seu conservandam* " *gratam memoriam ejus principii, à quo quis* " *genitus est; & hæc fuit intentio Regum anti-* " *quorum, qui eam instituerunt.* " ib n. 2.

In eodem capitulo iterum dicitur. *Ri-* " *tus ci fit ab offerente ut is muneri suo satis-* " *faciat. Absit ut credatur aut putetur vitâ fun-* " *ctum eo frui sit enim solùm ad declarandum* " *honorem, quem in suo corde defunctis habet.* " Quæ verba eadem ferè glossa explicat dic- " tus Commentator. " ib. n. 3.

In eodem libro *Liki* Capite *chutung* dici- " ib. §. 2. num. 4.

„ tur, ideò solùm fieri *ci* ut suppleat vicem „ obsequii, quod viventibus parentibus ex„ hibebant, alendo eos propter pietatem „ quam in corde suo habent filii erga pa„ rentes. Idem dicit Commentator dictus „ *Ing. xy.*

ib. n. 5. „ In eodem capite dicitur quomodo ma„ ritus ac uxor debeant facere *ci* & quod „ obedientes suisque parentibut obsequen„ tes faciendo *ci*, certò accipient bona „ aliqua, non mundi, sed quæ sequuntur „ quasi naturaliter ex ipso *ci* videlicet bo„ nam famam, concordiam, pacem, &c. „ Quia tempore faciendi *ci* consanguinei „ simul conveniunt, & hoc ipsum videtur „ esse motivum amoris mutui pacisque in„ ter eos augendæ confirmandæque.

cap. 4. nu. 50. „ In Libris *Liki* tomo 2. capite *tang ki* „ Confucius ait. Gubernium gerens uti Im„ perator, honorando senes præbebit exem„ plum subditis obsequendi parendive ma„ joribus. Item dixit: oblationis tempore „ adhibendo substitutum, seu *xy* in proa„ vorum aulis, adhibendo eorum tabellas, „ ostendet subditis quod & ipsi habent cui „ vel quibus serviant. Instaurando proavo„ rum aulas reverenterque peragendo quæ „ spectant ad oblationem, instruet subditos „ de recolendâ proavorum memoriâ, qui„ bus, cùm viverent, obedientiam debebant, „ quæ omnia ad detinendos subditos insti„ tuta fuere, id est in dictâ obedientiâ. His „ tamen non obstantibus subditi parentum „ suorum obliviscuntur.

Ex

Ex his patet, quæ è tractatu Illustrissimi D. Gregorii Lopez exscripsimus, Sinenses cùm eas de quibus egimus cæremonias instituere, eò spectasse tantùm ut pacem & concordiam in familiis retinerent; tenerisque puerorum animis debitam ergà parentes observantiam gratosque memoris animi sensus inspirarent.

Et verò dum tantos majoribus etiam defunctis honores à Patre exhiberi advertit natus, pronum est sanè ut quasi spontè suâ debitam patri observantiam cæteraque pietatis officia ultrò ac volens præstare assuescat.

Par est etiam de subditis erga Principem ratio. Neque enim ægrè adducentur ut Imperatoribus pareant, eorumque se subjiciant legibus, ubi viderint Reges ipsos suas etiam talis officii implere partes; eosque majoribus suis ipsique Confucio Sinarum legum conditori suos honores persolvere.

Consanguinei denique cum certis temporibus ad exolvenda hæc officia convenire teneantur, fit ut unâ tum colloquantur, salutent se invicem, redintegrent amicitias; undè alitur non parùm atque augescit inter familias concordia.

III. PROPOSITIO.

Locus ille, in quo prædicti honores Confucio mortuisque exhibentur; aula est, non templum.

Probat hanc propositionem Illustrissimus D. Gregorius Lopez sequentibus verbis.

„ Quod ad literam seu vocem *miao* quæ „ in ordine secunda est, quod supra dic- „ tum vocabularium Sinicum in illius ex- „ plicatione sic dicit *miao che mao ye fang* „ *fue sien jen chy jung mao ye.* Hoc est, „ littera seu vox *miao* significat aspectum, „ effigiem, apparentiam seu figuram ex- „ teriorem hominis seu alterius rei, adeó- „ que subdit, ipsa vox seu litera *miao* vi- „ detur significare quandam figuram exte- „ riorem, effigiem seu aspectum homi- „ num defunctorum; id autem impro- „ priè seu metaphoricè dici certum est.

in præfat not. 2.

„ Item in libro *Xu ting*, ubi de pala- „ tio Imperiali antiquorum Imperatorum „ fit sermo, dicitur quod eo tempore in „ dicto palatio novem salæ seu aulæ re- „ periebantur, hoc enim indicant hæc „ verba *fuen goey kieu kiu*, inter quas una „ dicebatur *ching yang miao*, ubi ipse Im- „ perator quiescere seque recreare solebat. „ Quapropter prædictæ vocis & literæ *miao* „ varius deducitur usus....

„ Illud autem scias velim *vuen miao* seu „ aulam ad cultum Confucio seu *kung* præs- „ tandum dedicatam, non omnibus aper- „ tam esse ut quacunque horâ vel die il- „ lam quisque pro libito ingrediatur sive „ recreationis causâ sive ad cultum ali- „ quem exhibendum, prout omnibus ido- „ lorum templa ingredi licet; sed tantum

statutis temporibus iis, qui ex ordine "
sunt litteratorum. "

Illustrissimus hujus Imperii, quod 715. "
abhinc annis cæpit, autor & doctor *chu-* " cap.
hy, quem Rex titulo *vuen kung*, quæ est " §. 1.
tertia post regem dignitas, decoravit, " 30.
commentatus est istos libros, quos ini- "
tio dixi haberi in Sinis quasi canoni- "
cos, & commentarius ejus est summæ "
authoritatis, quem literati omnes se- "
quuntur in suis litterariis certaminibus, "
eo quod optimus magistri sui Confucii dis- "
cipulus habeatur. "

Ejus opus est *kiali*, quod est Rituale " ib.n.31.
hujus regni. In hoc libro vocat aulas de- "
functorum *Tsu-tang* quod explicans com- "
mentator quidem *Liuxi hoe jun* dictus citat "
alium authorem contemporaneum magis- "
tri sui *chu vuen kung* nominatum *chin-y* di- "
centem. Antiquitùs vassalli nullâ in digni- "
tate constituti non habebant *miao* seu au- "
lam defunctorum, sed in domibus suis "
privatis faciebant *ci* seu oblationem. "

Posteà dictus Doctor *chin-y* dixit posse "
tales vassallos habere aulas suorum de- "
functorum, modò non eas vocarent *miao*, "
sed solùm *Ing-tâng*, id est aula umbra "
repræsentativa proavorum defunctorum. "
Postea idem ipse judicavit non esse tam "
idoneas has duas voces easque immutavit "
vocans eas *Su-tang*, quæ voces seu literæ "
in substantia idem significant, quæ posteà "
chu vuen kung approbavit. "

„Nota de duabus vocibus *Tſu-tang*, vo-„cem ſeu literam *tſu* non ſignificare aulam „ſeu templum proavorum, quia etiam hu-„juſmodi aulæ dedicantur hominibus inſig-„nibus adhuc viventibus & has aulas vo-„cant *ſeng-Hu*.

IV. PROPOSITIO.

COnſtat Confucium aut progenitores pro numinibus à Sinenſibus non haberi; à quibus nec petunt quidquam nec ſperant.

Probat hanc propoſitionem Illuſtriſſimus D. Gregorius Lopez ſequentibus verbis.

„In eodem libro *Liki* tomo 5. *kiven ty xe*
cap. 3. „capite *Liki* hæc habentur. *Kium che ive*
§. 2. „*ci ſu co ku*, *&c.* id eſt, author ipſe qui „Rituale compoſuit dicit: in oblationibus „ſeu Sacrificiis, *ci* non eſſe petendum ali-„quid ſeu non eſſe effundendas pre-„ces . . . . .

„In Rituali *Cheuly* dicto, quod hac de „causâ legi, tomo 3. cui titulus *chun kuon*, „ubi expenduntur declaranturque ea om-„nia quæ ad præfatos oratores ſeu cære-„moniarum magiſtros ſpectant, nullum „verbum inveni directè, manifeſtè claré-„que indicans in oblationibus proavis fa-„ciendis, utendum eſſe precibus.

„Refert Hiſtoria regni ſub Imperio pri-„mo *Han* Regem *han-kao chu*, dictique
cap. 5. „Regis ultimos abnepotes & his remo-
pag. 55.

tiores prædictum Confucium titulo *kung* ſeu ducum dignitate donaſſe. (*Quod certè fuiſſet omninò ridiculum, ſi pro numine vel Sancto apud Sinas haberetur.*

Nota quod opinione mea vox *Xing* non ſignificat hîc (ubi de Confucio) *Sanctum*, ſed ſapientem, ſeu valde ſapientem. Ad quod breviter demonſtrandum dico ipſum *mem-chu* habere titulum *jo xing*, quod eſt ſecundus ſapientiſſimus : & tamen nemo dicet hunc pro ſancto haberi : Ergo in eodem ſenſu, quo intelligitur *xing* de *mem chu*, intelligendum quoque eſt de Confucio. ibid. n. 60.

Item alios inferiores ac ſecundæ ſapientiæ vocant *tien*, non autem *xing*, Doctores autem vocant *tien-ju* ; atque ſenſim ita attollunt titulos Sapientum ac Literariorum nullâ ſanctitatis mentione facta : Ergo in eodem ſenſu quem dant titulis ſecundi ſapientis & ſequentium, intelligendus eſt titulus primi ſapientis Confucii, ne extra lineam gradationis ſeu Ordinis ſapientiæ prolabantur.

Mandavitque præfatus Rex ut ſecundâ lunâ veris, ſecundâque autumni offerrentur Confucio capra, porci, panni ſerici, vinum, fructus, & ut etiam Reges Imperatoreſque Confucio ſe ſe inclinarent. Cujus rationem alio in libro reddidit ; eſtque quod Rex Confucium magiſtri loco habet, atque ita ſe ſe ei inclinat. Cum interim, ſi eum Reguli loco

„ haberet ut cæteri Reges, qui eum hoc ti-
„ tulo decorarunt, non posset se ei Impe-
„ rator inclinare cum *vuang* seu Regulus
„ Imperatore sit inferior. (*Quæ ratio nihil probaret, si pro Sancto Confucius haberetur.*)

cap. 5. §. ultim. mea opinio.

„ Quantum ergo ad illud, quod caput
„ est in hac controversia *ci* seu oblatio-
„ num proavis defunctis offerendarum, vi-
„ delicet; utrum vivi ab eis sperent bona
„ aliqua, petantve! Dico quod cùm lego
„ libros Sinicos, quamvis textus aliquos
„ invenerim, qui primâ facie id videntur
„ affirmare, prout suprà dixi, tamen ins-
„ pecto contextu antecedentium ac conse-
„ quentium, commentatorumque exposi-
„ tionibus, reverâ non invenio textus, qui
„ id manifestè doceant vel asserant. Diffici-
„ liores autem suprà jam referendos cen-
„ sui, ex quibus etiam nullus saltem com-
„ munis ritus exorandi proavos deduci
„ posse videtur, sicut etiam inde vel ex
„ aliis libris, classicis saltem, deduci ne-
„ quit quod Sinenses proavis suis divini-
„ tatem aliquam attribuant, excepto uno
„ vel altero de quo suprà, &c. (*Sed iis*
„ *etiam respondit.*)

„ Idemque dico in ordine ad eorum des-
„ censum fruitionemque oblatorum, & eo-
„ rundem in tabellis præsentiam seu assi-
„ stentiam. Nihil enim horum omnium cer-
„ tò seu firmiter credebant antiqui, juxtà
„ ea quæ in libris vidi.

Confucium quod attinet, dico non " tantnm veteres sed & modernos ac præ- " sentes nequaquam ab eo petere aut spe- " rare quidquam; exceptis qui suprà, & " nonnullis ludimagistris, infimæ notæ " hominibus, qui ad parvulos animan- " dos, Confucii nomen in charta descrip- " tum eis proponunt, eosque huic se in- " clinare jubent, ingenium à Confucio eis " conferendum dictitantes. "

In urbe quoque *Focheu* audivi à pau- " cis annis nonnullos tanquam hæreticos " Sectæ *Tao*, cœpisse idolum Confucio po- " nere, ab eoque bona petere eîque li- " bellos supplices scribere, & hos combu- " rere cum aliis, quos idolis scribunt, co- " ram quibus eos libellos simul omnes " comburunt. "

V. PROPOSITIO.

FAlsum est in hanc opinionem Sinenses venisse ut existiment progenitorum defunctorum animas præsentes in tabellis adesse aut eò se sistere, dum ipsis honores, de quibus egimus, exhibentur.

Probat hanc Propositionem Illustrissimus D. Gregorius Lopez sequentibus verbis

Libro *liki* capite *kioli* dicitur ædifican- " cap.4.
dum esse aulam defunctis, ibique tabel- " nu.43.
lam collocandam. "

„ *Pehutung* , qui floruit sub imperio „ *Han chao* dicit: Causa faciendi dictam ta- „ bellam est, quia cùm anima seu spiritus „ defuncti invisibilis sit, aliquid visibile „ requiritur ad excitandam memoriam pa- „ rentum in filio, ubi cor filii conquiescat „ seu innitatur; Ad quod respiciat, cujus aspectu consoletur. Tabella ergo fit ex ligno, quia arbor homini similis est, in eo quod principium habeat, è quo nas- „ citur; itemque finem. Scribitur nomen „ defuncti ut posteris constet, cujus sit ta- „ bella.

ibid. nu.46. „ *Hu-xin* sub Imperio tertii *Han* dicit „ tabellam esse debere quadratam, cons- „ tantem è duabus, quarum una alteri „ commissa sit. Imperatoris tabellam esse „ debere unius pedis ac quatuor digitorum „ longitudine, Reguli verò pedis tantum: „ & unicuique adscribendam esse digni- „ tatem quam habet. Hæc tabella est ima- „ go spiritus. Filii enim pii sepulto paren- „ te non habent ubi cor eorum conquies- „ cat; ideoque faciunt tabellam ut ei ser- „ viant.

Ibid. nu.48. „ *Chin-hô yuañgie* Sub eodem Imperio „ hac de re agens dicit; hoc totum fit ad „ manifestandam pietatem filiorum seu re- „ verentiam filialem, imaginando quan- „ dam similitudinem, seu tanquam ibi ad- „ essent proavi, atque ita à rege usque ad „ infimum Mandarinum suas singuli ta- „ bulas habere debent ad inscribendum

xingo

Xingo cy, id est locus sive sedes spiri- "
tuum. "

Liber *Kiali* seu rituale dicit quod in " anteriori parte tabellæ hoc modo scri- " ibi. nu-
bendum sit, videlicet, N. Mandarini, " mer 50
hujus vel illius ordinis &c. *Xin-cheu.* "

Doctor autem *Hia-xin*, qui suprà, ex- " plicans illam vocem seu litteram *chu* di- " cit: *chu che xin Siang ye*, hoc est, id quod " *chu* dicitur, (subintellige hìc) idem est " ac imago spiritus seu defuncti: adeoque " suprascripta formula scribenda in tabel- " la facit hunc sensum: Imago Spiritus " N. Mandarini, &c. "

Ex dictis videri potest quod defuncto- " rum tabellæ non semper seu ab omnibus " dicantur vel inscribantur *Xin gocy*, id est, " locus seu sedes spiritus, sed quod etiam " à multis inscribantur ut suprà *xin chu*, " hoc est, imago spiritus. "

Chu vuen kung dicit ipsos *kuey-xin* " ibid.
seu spiritus non esse aliud quàm demit- " nu. 53.
ti, attolli, intrare ac respirationem..... " Dicet aliquis: Si non dantur spiritus, " quomodo dicuntur debere proavi de- " functi? (ait) Respondeo id tantùm " dici ad movendum, & quia tantillùm " superest de eorum spiritu. Sicut v. g. " quando ex arbore desumptus ramus " aut semen, plantatur aut seritur, licet " siccetur truncus, adhuc dictus ramus " plantatus crescit, & semen latum nas- " citur seu germinat; & hoc quia sicci "

„ illius trunci quædam adhuc virtus re-
„ manet in ramo & ſemine, quaſi arbor
„ illa adhuc extaret. Filius ergò offeren-
„ do parentibus, ſi ex corde ac reveren-
„ tur celebret hujuſmodi ritum, videbi-
„ tur parentum ſpiritus adhuc aliqualiter
„ in filio remanſiſſe. Si verò ille nòn ex
„ corde aut irreverenter peragat, nullate-
„ nùs videbitur ſpiritus dictorum paren-
„ tum in filio remanere. Quare totum eſ-
„ ſe ſpiritus defunctorum conſiſtit in cor-
„ de filii.

FINIS.


Retro-ſcriptum noſtrum tractatum de cultu à Sinenſibus exhibito defunctis ac Magiſtro Confucio primùm ſub Superiori formâ data à nobis tunc Miſſionarium agentibus confectum, nec-non poſt ſuſceptum à nobis Epiſcopale ac Vicarii Apoſtolici munus, de noſtro mandato & ſecundum dictamen, mentem, voluntatemque noſtram, per R. P. Fr. Joannem Franciſcum à Leoniſſa Ord. Minorum Strictioris Obſervantiæ, noſtrum Notarium Apoſtolicum ac Provicarium Generalem, in meliorem formam redactum & auctum, & propria ejuſdem manu latinè ſcriptum, & ſignatum, noſtro etiam manuali ſigno ſigilloque, in horum & in ipſo contentorum omnium fidem, muniri voluimus. Datum

in Ecclesia Societatis JESU in Oppido *Xang hai* Provinciæ Nankini 18. Augusti anni 1686.

Fr. GREGORIUS LOPEZ Episcopus Basilitanus & Vicarius Apostolicus Nankini, &c.

Sigillum.

De Mandato Illustriss. ac Reverendissimi D. D. Episcopi Basilitani qui suprà, Fr. Joannes Franciscus à Leonissa, Ord. Min. Strict. Observantiæ Notarius Apostolicus ac Provicarius Generalis, &c.



INDEX
FACTORUM ET RERUM de quibus agitur in his tractatibus.

INDEX.

INDEX.

INDEX.

FINIS.


Errata corrigenda.

PAg. 6. lin. 8. novissimæ. *lege* novissimè.
Pag. 19. lin. 23. meam. *lege* meum.
Pag. 83. lin 15. ab basptismum. *lege* ad baptismum.

In 2ª. Parte.


PAg. 9. lin. 6. S. R. P. *lege* S. R. E.
Pag. 20. lin. penult. inferendo. *lege* in ferendo.
Pag. 34. lin. 4. reverentur. *lege* reverenter.





ADDENDA

Ad paginam 85. post declarationem R. P. Sarpetri.



EXCERPTA

Ex Navarretæ Tomo 2. de rebus Sinicis Pagina 2. col. 1. num. 1.

QUis me unquam de Societate loquentem audivit nisi summâ cum laude & honoris significatione? nonne Pekino ad R.P. Oliva sanctæ illius familiæ Generalem litteras dedi quibus commemorabam quot & quantæ essent ejus filiorum virtutes, qui labores in vinea Domini inter Sinas excolendâ, quanti fructus ipsorum operâ collecti; aliaque ejusmodi eximia & plane singularia? Ad hæc prædicabam quâ benevolentiâ, quo amore, quâ charitate complexi essent Missionarios tum ex S. Francisci, tum ex S. Dominici Ordine quorum omnium testes apello PP. Societatis quotquot jam in Sinicâ Missione versantur. Nonne postea Cantone quâ in urbe per annos quatuor eâ concordiâ viximus quâ Germanos fratres eodem patre, eâdem matre natos decet, alteram Epistolam ad eumdem R. P. scripsi, alteram item ad R. P. nostrum Generalem:

quâ in utrâque referebam, quam multa ac præclara essent Patrum Societatis in nos omnes merita? His omnibus nihil verius.

Ex his apparet minimè fictas esse litteras quibus P. Navarreta Jesuitarum Sinensium virtutes, labores Apostolicos, laborumqne fructus, charitatem, in ipsum ac suos prædicat, iis planè contraria quæ scriptis deinde libris toto orbe vulgavit.

Pag. 6. col. 1. num. 1. Mihi quidem libri Sinicè à Patribus Societatis editi non bene tantùm, sed optimè scripti videntur: laborem laudo, eruditionem admiror, grates ago quàm maximas: illos de nobis optimè meritos sincerè professus: quippe cum sine ullo labore nos Franciscani ac Dominicani illic nacti simus quæ usui nobis essent ubi resposceret.

Hinc rursùm apparet quantum fidei mereatur P. Navarreta, ubi de Sinensibus Jesuitis sic loquitur quasi præ illo & quibusdam ejus sodalibus vix tirones forent in linguâ litterisque Sinicis.

Pag. 11. *col.* 2. *num.* 1. Dubitari non potest quin ex illâ diversitate sententiarum inter Missionarios Sinenses plurimum boni extiterit. Inde enim effectum est ut multis in rebus quid verum sit perspectum haberetur, & dubitationes multæ tollerentur. Ita jus positivum apud Neophytos promulgatum est tanquam legis vim ac robur obtinens: Ita nos Franciscani & Dominicani didicimus nunquam PP. Societatis permisisse Christianis ut interessent solemnibus illis sacrificiis, quæ offerre magistro suo Confucio litterati solent: quanquam hi Patres, saltem plerique veram

sacrificii rationem in iis ritibus cærimoniisque inesse non agnoscant.

Pag. 369. *col.* 2. *num.* 14. Ex eo quod P P. Societatis prædicta sacrificia non permittant, P. Brancatus apologiæ suæ fol. 5. pag. 1. Societatis Missionarios ab eo longe abesse ut superstitiosum quidquam permittere in animum inducant. Sed nihil horum afferre necesse fuit, ut ad *informationem* meam responderet. Probari semper debet quidquid bonum atque honestum est. Quod in eâ re sequuntur PP. Societatis, valdè consentaneum est Apostoli præcepto, 1. Thessal. cap. 1. *Ab omni specie malâ abstinete vos.*

Pag. 391. *col.* 2. *num.* 24. Illa verò nequitia (*Jesuitarum*) fuit, quod tam multis annis tacuerint se solemnia Confucii sacrificia non permittere: Quod si essent professi, certum est malorum ingentium occasionem fuisse tollendam: ego quidem certè cauteriatas hujusmodi conscientias mirari satis nequeo.

Pag. 451. *col.* 2. *num.* 3. P. Didacus Morales (è Societate Jesu) Apologiæ suæ lib 2. cap. 4. num. 8. planè sic habet. *Altera responsio est. PP. Societatis, quemadmodum jam diximus, Christianis suis non concedere ut offerant Confucio neque carnes, neque sericos pannos &c. multò verò minùs ut rerum hujusmodi reliquias servent. Hoc ipsum est quod ait P. Hurtadus Vice-Provincialis post factam diligentem rei totius Inquisitionem. Unde Christiani à nobis ritè edocti, in confessione peccatorum peragendâ, religioni ducunt vel levissimum quid reticere quod contra istam suorum pastorum prohibitionem admiserint:* Hæc P. Morales. Ad

quæ ego me superiùs respondisse dico. Addo jam plurimum debere nos ob id rectè factum PP. Societatis : debituros verò ampliùs, si ante hos 30. annos fecissent nos eâ de re certiores.

*Tria quædam ex his manifesta fiunt. Primum, est notum fuisse persuasumque P. Navarretæ Sinenses Jesuitas nequaquam indulsisse Neophytis ut solemnibus illis Confucii cærimoniis sub æquinoctia interessent : proinde mendacium esse ubi contrarium disertè asserere non puduit. Alterum est scivisse illum quoque non novam sed perpetuam hanc ab initio extitisse Jesuitarum responsionem : quippe quam in Apologiâ P. Morales jam anno 1641. editâ legeret : adeoque novum esse ipsius Navarretæ mendacium, cum fingit non ante illum annum 1669. hac defensione usos esse, eoque prætextu cauteriatam illis conscientiam exprobrat quasi nequiter ac de industria rem tacuerint. Tertium est nugari novellum Apologistam, qui ne viso quidem * Navarretæ libro ariolatur non seriò, sed per ironiam ab eo dicta esse quæ ex paginâ illius undecimâ repræsentavimus. Quo quid ineptius excogitari potuit.*


Pag. 332. col. 2. num. 3. Ad id quod P. vice-Provincialis refert ex Apologia P. Morales (*ea nimirum de quâ modo actum est*) respondeo illam anno 1646. apud Mexicum visam esse à me & ab iis omnibus navigationis sociis. Eam quippe P. Maginus secum deferebat in Hispaniam, P. Joannes de Morales (*Dominicanus*) illi Apologiæ responsionem apposuit, eamque cum D. Joanne Palafoxio Episcopo Angelopolitano communicavit, à quo præ-

* *Pag.* 302.

dictæ Apologiæ exemplum habueramus illius curâ descriptum ex eo quod P. Maginus ipsi legendum commodaverat. Eamdem rursus Manilæ, deinde etiam hic in Sinis perlegi. *Hinc aliud ejusdem Apologistæ somnium rideas, qui Navarretam ab secundo illo, quod notavimus, mendacio bellè defendere posse sibi visus est, si * diceret non priùs lectam ipsi fuisse Apologiam P. Morales, quàm cùm ei à Jesuitis apud Cantonem ostensa est anno 1667.*

* *Pag.* 304.






DILECTO FILIO FERDINANDO VERBIEST VICARIO PROVINCIALI SOCIETATIS JESU,

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecte fili, salutem.

INcredibilis propè lætitiæ argumentum attulerunt litteræ, quibus post devotas filialis tuæ erga nos observantiæ significationes, duplex ex amplissimo isto Sinarum Regno munus ad nos detulisti, Missale videlicet Romanum Sinensi idiomate conscriptum, & imagines Astronomicas Sinensi item more à te affabrè delineatas ad conciliandum Catholicæ fidei favorem gentis in omni disciplinâ liberali excultæ, & ad omnem virtutem mirificè

á



propensæ. Jucundissimum verò præ cæteris fuit ex eisdem litteris cognoscere, quàm sapienter, atque opportunè profanarum scientiarum usum ad Sinensium populorum salutem, & ad Christianæ fidei incrementum, utilitatémque deflexeris; earum beneficio refellens falsas criminationes, & calumnias, quibus nonnulli in Christianum nomen invehebantur, viamque tibi sternens ad eum gratiæ locum apud Sinarum Regem, ejùsque Consiliarios, ut solutus ipse gravibus molestiis, quas diu forti, magnóque animo pertulisti socios tuos Missionarios ab exilio revocaveris, & Religionem ipsam non solùm pristinæ libertati, dignitatique restitueris, sed etiam ad meliora in dies speranda provexeris. Nihil enim est, quod, Dei adjutrice gratiâ, sperari non possit te, tuisque similibus viris apud gentem istam Religionis causam agentibus, & Rege ipso ingenio tam solerti, atque animo ad Christianam pietatem adeo propenso, sicuti præ cæteris declarant, quæ is authoritate, Consilioque tuo adversus schismaticos hæreticosque mandavit, cùm ècontra Catholicos Lusitanos omni amoris atque humanitatis significatione complexus sit. Reliquum est, ut merito, quod in commissâ tibi Provincia gerendâ egregium hactenus comparasti, recentibus quotidie religiosi zeli, consuetæque industriæ

documentis majorem cumulum adjungas. In quod opus omnia tibi à Pontificiâ charitate, & ab hac sanctâ sede polliceri debes; cum nihil antiquius pro Pastorali nostro munere habeamus, quàm Christi fidem feliciter adolescere, & propagari in nobilissimâ istâ & florentissimâ Obis terrarum Plagâ; quæ quidem quamvis à nobis immenso penè terrarum tractu sejuncta sit, proximam tamen, imò præsentem facit Charitas Christi, cujus impulsu in Populorum Sinensium æternam salutem solicitudinis nostræ oculos, curasque continenter intendimus. Piis interim laboribus & conatibus tuis, tuorúmque Sociorum bene precamur, & paterni, quo vos, & omnes Sinensis Regni fideles in Domino complectimur, amoris indicem Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ 3. Decembr. ann. 1681.



ILLUSTRI
AC
POTENTISSIMO
UTRIUSQUE TARTARIÆ
ET
SINARUM IMPERATORI,
ALEXANDER PAPA VIII.

ILLUSTRIS, AC POTENTISSIME Imperator: ſalutem, & lumen divinæ Gratiæ.

CElſiſſimorum decorum quibus inſigniris, fama non intra Imperii quamvis ampliſſimi tui fines concluditur, ſed diſſitas quoque magno locorum intervallo Regiones peragrat: præclaróſque ubique Terrarum inclito nomini tuo plauſus excitat. Quia verò inter ea decora præcipué recenſeri propenſam voluntatem, quâ Societatis JESU Miſſionarios reſpicis, ex conſtanti jampridem ipſiuſmet famæ teſti-

monio ; recenterque à Patre Claudio Philippo Grimaldo ex eadem Societate, uberiùs cognovimus, nostrarum esse partium duximus, amantissimis hisce literis, gratos tibi hac de causa cordis nostri sensus luculenter explicare, ac beneficiis, quæ in prædictos Missionarios, Pekini specialiter, in celeberrima aula tua, ante & post eorum obitum, liberaliter effundis, aliqua saltem ratione respondere. Sanè cum hi qui ex deputatione nostra, posthabitis omnibus hujus vitæ commodis, post exantlata Terrâ Marique innumera penè discrimina, istùc adveniunt, non aliud sibi lucrum propositum habeant, quàm publicum Imperii tui bonum, & æternam animarum salutem, quæ à Catholicæ fidei Professione unicè pendet, digni profectò sunt, quos florentissimis tuis in ditionibus supremo patrocinio tuo tuearis, atque custodias. Cum autem præ cæteris, qui arduum istud iter modò sunt aggressuri, ob familiæ ex quâ originem trahit fulgorem, nec non ob virtutum, scientiarúmque, quibus abunde præditus est excellentiam ; nobis admodum probetur Pater Franciscus Maria Spinola è Societate pariter Jesu, insigni virorum pietate, ac doctrina præstantium Officinâ, quamque propterea magnopere diligimus, has idcirco literas tibi reddendas eidem Patri

tradidimus, injunximúſque, ut diſertè te doceret, quo in honore, ac exiſtimatione apud nos ſis, & quàm cupiamus hujuſmodi exiſtimationem, in occaſionibus, quæ ſe offerent, ſplendidis documentis manifeſtam facere. Reliquum eſt, ut Præfatum Patrem, unâ cum Sociis, perhumaniter excipias, dum nos non omittemus impensè rogare eum, à quo eſt omnis poteſtas & Imperium, ut lætos tibi, fauſtòſque ſucceſſus tribuat, perfectumque inprimis veritatis ſuæ lumen oſtendat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Julii M. DC. LXXXX. Pontificatus Noſtri anno primo.



ILLUSTRI AC POTENTISSIMO UTRIUSQUE TARTARIÆ ET SINARUM IMPERATORI, INNOCENTIUS PAPA XII.

ILLUSTRIS, AC POTENTISSIME Imperator salutem, & lumen divinæ Gratiæ.

CUm nobis non minùs, quàm fel. record. Alexandro VIII. Prædecessori nostro, in cujus locum, immerentes licet, ad Ecclesiam Dei regendam suffecti sumus, cognita, ac perspecta sint effusa supremæ benevolentiæ testimonia, quibus Societatis JESU Missionarios ad æternam animarum salutem indefessis studiis procurandam istùc advenientes prosequeris, muneris esse nostri duximus, gratos, hac

de cauſa ; prædicti Prædeceſſoris noſtri erga te ſenſus , à P. Franciſco Maria Spinola ejuſdem Societatis , quemque nos ob ſingulares illius dotes , ac prærogativas majorem in modum cordi habemus, tibi explicandos , hiſce noſtro Nomine confirmare , nullam quæ ſe offerat occaſionem dimiſſuri luculenter declarandi , quanti celſiſſima , ac toto Terrarum orbe celeberrima decora tua faciamus. Tibi verò interim cùm ad perfectam divinæ veritatis agnitionem , tùm ad omnem rerum ſecundarum fauſtitatem , Omnipotentem Deum propitium , faventémque ex intimis animi noſtri penetralibus accuratè precamur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 2. Septembris 1691. Pontificatus Noſtri anno primo.

